Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Chyträus

SVMMA DOCTRINAE || DE VERA DEI || agnitione: seu || DESCRIPTIO || DEI || vsitata, in locis theologi-||cis Philippi:|| Explicata Praelectionibus || D. DAVIDIS CHYTRAEI.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1586

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737595419

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

A – E.
A – B
A – B. 12 Bi
A – F
A – C.
A – C.
A – B
A – C
A – E.
A – B.
A – B
A – B.
A – F.
A – H.
A – D.
A – C.
A – C.

Sm – 4303 1-17.
51a. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737595419/phys_0002

SVMMA DOCTRINÆ

DE VERA DEI agnitione: seu DESCRIPTIO DEI

vsitata, in locis theologicis Philippi:

Explicata Prælectionibus

D. DAVIDIS CHYTRÆI.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
ANNO
CIↃ IↃ XIVC.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Reuerendissimo Domino

M. IOHANNI LAGONIO,

Episcopo Ripensi

IOHANNES FREDERVS.

MAxima nosse Deum nostræ sapientia vitæ est. Quod autem optimus Imperator Gratianus olim ad D. Ambrosium Mediolani episcopum scripsit: Ego infirmus & fragilis, de Deo, quantum possum prædico, non quantum est ipsa diuinitas: ita omnes pios fateri necesse est, non penitus cognosci à nobis & perspici in hac vita, Dei naturam & voluntatem, mirandorumq; operum & consiliorũ creationis ac redemtionis & gubernationis Ecclesiæ causas, sed vix tenues, inchoatasq; vmbras & imagines rerum Diuinarum, videri, donec in cœlestem Academiam, ad ipsius DEI fontis sapientiæ illustrem lucem translati, mentibus & oculis nostris Deum coràm clarissimè cernemus. Nemo autem visionis illius Dei in vita sempiterna particeps erit, nisi DEVM in hac vita fide agnoscere cœperit. Ad hunc finem ministerium verbi diuini institutum & labores docendi in templis & scholis directi sunt. Cùm igitur hoc tempore summa doctrinæ de vera Dei agnitione in vsitata definitione Dei comprehensa apud nos repeteretur: typographo typis describenda dedi, quæ Locum de DEO in Catechesi superioribus annis prælegens, ex reuerendi soceri & præceptoris mei clarissimi & carissimi ore & manibus exceperam. quæ iuuentuti pietatis studiosæ nec inutilia nec ingrata fore plane confido.

Tibi autem reuerendissime Domine Episcope hunc commentariolum inscribo: quem summa cum dignitate & fide Ecclesiam filio Dei æternam tua doctrina & ministerio colligere & gubernare, & singulari pietate, grauitate, patientia, beneficentia, aliisq; virtutib. Episcopo laude dignissimo conuenientibus ornatum esse, & amore ac benignitate eximia huius doctrinæ studiosos complecti audio, præsertim cum ornatiss. vir M. Andreas Iacobi se vadem constituerit officium tibi meum non ingratum fore. Etiam igitur atq; etiam abs te peto, vt hanc animi mei significationem, singulari & vera obseruantia tuam virtutem colentis, tibi sinas esse commendatam. Bene vale. Id. Maij.

SVMMA DOCTRINÆ de vera DEI agnitione, seu DEFINITIO DEI breuiter explicata.

SVmma sapientia & præcipuum ac proprium hominis opus est, DEVM rectè agnoscere, & piè colere, vt verè dicitur: ἡ τοῦ θεοῦ γνῶσις, σοφία ἐστι καὶ ἀρετὴ ἀληθινὴ: ἡ δὲ ἄγνοια, ἀμαθία καὶ κακία ἐναργής. *Nam ad hunc finem summum omnes homines conditi, & per filium Dei dominum nostrum Iesum Christum redempti sunt, vt Deum rectè agnoscant, & pio corde ac voce & totius vitæ obedientia celebrent. Deum autem rectè agnoscere nemo potest, nisi Deo ipso per verbum suum docente, Math. 11. Nemo patrem nouit nisi filius, & quibus huius semina noticiæ filius ipse dedit. Et Ioh. 1. Deum nemo vidit vnquam, filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. Item: Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco, hunc audite. Cùm igitur Deus hoc vno mo-*

do agnosci & coli velit, sicut se per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum in verbo ecclesiæ tradito patefecit: studiosè & attentè Filium Dei λόγον in suo verbo nobis concionantem, & nos de vera Dei agnitione & æterna salute nostra docentem audiamus; eumq; ardentibus votis oremus, vt ipse nos spiritu sancto suo doceat, & verè sapientes, hoc est, Deum rectè agnoscentes & colentes efficiat. Etsi n. esse Deum, non modò pulcherrimum hoc domicilium cœli & terræ, miranda arte & pulchritudine ornatum, & totius rerum naturæ ordo, verùm etiam noticiæ in mentibus humanis nascentes testantur (omnibus enim innatum est & in animis quasi insculptum, esse Deum, vt Cicero ait. & notus est versiculus: εἷς θεὸς ἐστὶ μόνος καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος.) Tamen nec essentiam Dei, nec discrimina personarum (quæ Deus vult nota esse, vt solum filium esse mediatorem & victimam agnoscamus) nec voluntatem Dei in Euangelio reuelatam, de reconciliatione hominum propter filium mediatorem, nosse sine Dei verbo quisquam potest. Et contra hanc

ipsam

ipsam vnius Dei noticiam naturæ insitam Ethnici idolatricos cultus monstrosæ multitudinis Deorum approbant. Et cùm in præsentis vitæ confusione, bonis sæpe malè esse & malis benè esse vident, opprimuntur dubitationibus Epicuræis vel Academicis, quibus omnis illa assensio de Deo ex animis deletur & euanescit. Sola igitur ecclesia Dei, amplectens verbum, in quo se Deus patefecit, arcanæ huius & sublimis sapientiæ, videlicet, veræ agnitionis Dei, possessionem retinet. Estq; hæc summa veræ & Christianæ noticiæ Dei, quam vsitata descriptio complectitur:

DEVS est essentia spiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, immensæ potentiæ & sapientiæ: Pater æternus qui filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à patre & filio: sicut patefacta est diuinitas certo verbo & testimonijs diuinis, quòd pater æternus cum filio & spiritu sancto condiderit & conseruet cœlum & terram & omnes creaturas:

Et in genere humano, condito ad imaginem suam & certam obedientiam, colligat sibi Ecclesiam, vt ab ea hæc vna & vera diuinitas, patefacta certis testimonijs, & per verbum traditum Prophetis & Apostolis, agnoscatur & colatur iuxta verbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc vera diuinitas in vita æterna celebretur.

Vt autem summa doctrinæ de vera Dei agnitione, quam complectitur hæc definitio, partim à forma substantiali, partim ab effectibus, vt Dialectici loquuntur, sumta, accuratius considerari & intelligi & ad vsum transferri possit: ordine quatuor definitionis membra distribuam & declarabo. ex quibus PRIMVM, Quid & Qualis sit Deus, decem proprietatibus seu attributis essentialibus, vt in scholis vocantur, vtcunq; declarat. Quæ cùm legimus, nos eam præcipuè ob causam homines conditos & redemptos esse, ac in eo præcipuè omnes elaborare debere cogitemus, vt Dei conditoris sapientiæ, bonitati, iustitiæ, veritati & cæteris virtutibus, vero

corde

corde & totius vitæ obedientiæ similes & conformes simus, seu vt Paulus loquitur, in eandem imaginem transformemur, ἐπιτηδεύοντες ὁμοιοῦσθαι θεῷ καθόσον δύνατον ἀνθρώπῳ.

Alterum membrum definitionis, Discrimina personarum recitat, vt Filium Redemptorem nostrum ac mediatorem, per quem ad Patrem accedimus, rectè agnoscamus & inuocemus: & Spiritum sanctum gubernatorem & paracletum assiduis votis petamus, & in hoc inuocationis exercitio potius quàm otiosis speculationibus sanctam Trinitatem agnoscere studeamus.

Tertia pars meminit Creationis cœli & terræ, quia in eo opere primo, Deus sapientiam & bonitatem ac omnipotentiam suam reuelauit.

Quarta de Patefactione Dei facta in verbo Legis & Euangelij, & de electione æternæ Ecclesiæ seu hominum rectè Deum agnoscentium & celebrantium, concionatur: & hypothesin ac fundamentum totius Theologiæ ponit. quod videlicet Deus hoc vno modo agnosci, inuocari & coli velit, sicut se

in suo verbo agnosci & coli præcepit. Ordine igitur ac breuiter testimonia verbi diuini, ex quibus singulæ definitionis partes extructæ sunt, illustria colligemus. & vsum ac praxin singularum ostendemus.

Primum enim quòd Deus sit essentia æterna & immutabilis, per se, & à se, ideoq; semper existens: nec sit commentitium quiddam, aut inane nomen, vel idolum seu phantasma imaginatione pictum, sicut poëta inquit, Primos fecit in orbe Deos timor: testatur nomen veri Dei proprium IEHOVA, quod Deus ipse sua voce reuelauit, & quo se vnum verum Deum conditorem rerum, & patefactum primis patribus Abrahæ, Isaac, Israëli, Moysi, & tradita lege & promissione de Christo, discerni voluit ab omnibus commentitijs Numinibus omnium aliarum gentium. Esa. 42. Ego IEHOVAH, hoc est nomen meum, Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Exod. 3. Iehoua Deus patrum vestrorum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob misit me ad vos. Hoc est nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generationem

tionem & generationem. Exod. 6. Ego Iehoua qui apparui Abraham Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Iehoua non indicaui eis. 3. Reg. 18. Quousq; claudicatis in vtramq; partem, si Iehoua est Deus, sequimini eum: Si Baal est Deus, ipsum sequimini. Deut. 4. Vt scias quoniam Iehouah est ipse Deus, & non est alius præter eum. Mich. 4. Omnes populi ibunt vnusquisque in nomine Dei sui: Nos autem ibimus in nomine Iehoua Dei nostri.

Significat autem nomen יהוה proprijssimè, essentiam à se & per se existentem, quæ ab æterno fuit, est, & erit in omni æternitate, & quæ omnibus cæteris rebus essentiam tribuit, & ea quæ promisit, verè κεφ τῷ ὄντι præstat. Ad hoc nomen alludit Iohannes Apocal. 1. ὁ κύριος, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος ὁ παντοκράτωρ: ab היה fuit seu erat, & הוה, qui est, & יהיה erit seu permansurus est, Psal. 102. Tu Iehouah in seculum permanes, in generationem anni tui: Olim terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu

 autem

autem permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent & sicut indumentum permutabis eos & immutati erunt: Tu autem idem es & anni tui non finientur. Dionysius his verbis nomen Iehouah enarrat. Ipse ὢν, QVI EST, totius esse super essentiale quoddam est, fundatrix causa & opifex entis, subsistentiæ, substantiæ, essentiæ, naturæ principium & mensura æternitatum atque temporum entitas & seculum entium. Est enim supereſſentialiter æternus, incommutabilis, in seipso manens, secundum eadem & eodem se habens modo, omnibus similiter præsens, ipseque secundum seipsum in seipso firmiter & intemeratè in pulcherrimis substantiuæ Identitatis finibus collocatus, intransmutabilis, inflexibilis, inuariabilis, impermixtus, immaterialis, simplicissimus, nullius egens, inaugmentabilis, indiminuibilis semper existens, & in seipso perfectus atque idem secundum seipsum & à seipso vniformiter & identiformiter limitatus.

Cætera Dei nomina Hebræis vsitata, non ab essentia sed à virtute vel potentia & effectio-

fectionibus Dei varijs sumpta sunt, vt EL Elohim: vel à præsentia, qua enter præsenter Deus est & vbique potenter. πάντη γάρ ἐστι, πάντα καὶ βλέπει θεὸς, à præpositione אל quæ ad vel apud significat: vel à potentia, fortitudine & maiestate Dei, à qua omnia in cœlo & in terra dependent, & propter quam illi velut iuramento obstricta sunt, ad obedientiam & gratitudinem debitam, à verbo אלה adiurauit & אל fortis, potens. inde nomen deriuatiuum אלוה & in plurali אלוהים, quod non tantum vero Deo, sed etiam commentitijs Numinibus passim tribuitur. שדי Græci reddiderunt θεὸς παντοκράτωρ ἢ αὐτάρκης, Deus omnipotens seu potius sufficiens & abundans omnibus bonis, & ex vberrimo bonitatis suæ fonte omnibus rebus essentiam, vitam, motum & omnia bona abundè præbens: à relatiuo ש & די, id est, sufficientia, plenitudo, copiæcornu, seu à שד mammilla, quod omnes creaturas velut lacte suo alat, dans escam omni carni et implens omne animal benedictione, sicut Latinis Saturnus

inde

inde nomen habere putatur, quod omnia saturet, foueat, & alat. Et Iupiter quasi iuuans pater. & Græcus Diana πολύμας@, id est, vberibus suis omnia alens. Videtur autem vtraq; appellatio שדי & אל vno versu comprehensa esse: εἷς θεὸς ἐστι μόν@, δωτὴ@ ἅμα καὶ πολύολβ@.

Vox אדון Dominum propriè significat, cui tanquam fundamento domus seu Reipub. administratio præcipuè incumbit & innititur: à verbo דון statuit vel stabiliuit. inde Adonai, affixo י, vbique significat verum Deum omnia sustentantem & regentem ac opitulantem Ecclesiæ suæ. Cum autem Iudæi vel superstitione vel reuerentia nominis diuini, non legant Iehouah, quod ineffabile dicunt, sed vbicunque in Bibliis occurrit, loco eius שם vel Adonai pronuncient: factum est vt interpretes nomen DEI proprium יהוה redderent græcè κύρι@, latine Dominus κατ' ἐξοχὴν: cùm tamen vox Ebræa longè aliud propriè significet, videlicet αὐτοφυῆ, seu οὐσίαν ἀΐδιον, essentiam æternam, per se & à se existentem.

עליון

עליון *significat altissimum dignitate, gloria, maiestate, ab* עלה *ascendit.*
יה *est abbreuiatum nomen Iehouah.*

Græca vox θεός *videntem significat: Cernit Deus omnia vindex.* πάντα ἰδων ὁ θεὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. *Aristoteles à* θέειν *deriuat, ab assiduo motu & cursu corporum cœlestium, quibus mentem diuinam, ea agitantem, infusam & permixtam esse quidam existimârunt, sicut nostræ animæ corporibus alligatæ & infusæ sunt. Latinum nomen* DEVS *haud dubiè à græco ortum est litera aspirata in mediam mutata, non à* δέος *timor, tametsi hæc quoque etymologia admonitionem vtilem continet congruentem cum dicto Esaiæ 8: Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse sit pauor vester & terror vester. &: Hoc vobis præstet Dei timor, vt omnes alios timores contemnatis.*

Germani aptissimum & dulcissimum nomen DEO *à bonitate tribuunt:* Gott *seu* Gutt *(sic enim vetus gens Gothica hodierno die Deum nominat) bonus, beneficus, absq; vlla iniquitate iustus & rectus, autor & do-*

& donator omnis boni, τῆς τ' ἀγαθοῦ φύσεως αἰτία, & odio prosequens omnia peccata & scelera.

Sed hæ appellationes Dei, virtutes & effectiones seu beneficia Dei describunt potius, quàm essentiam seu naturam, quæ solo hoc nomine DEI proprio Iehouah notatur. Quotiescunque igitur in sacris literis nomen Iehouah legimus (usurpatur autem in singulis paginis sæpissime) toties Deum essentiam nominari sciamus; unde intelligi potest, quanta illorum impudentia & impietas sit, qui Deum Essentiam prophetis, Christo & Apostolis planè ignotum & inauditum esse: nec quicquam unquam dixisse aut fecisse verbo vel opere, & nihil à Deo Baal vel Moloch differre, imò sub titulo DEI Essentiæ Sathanam adorari & coli, in Polonia scripserunt. Huius blasphemiæ impudentiam ipsum nomen veri Dei proprium, quod Essentiam significat, perspicuè in omnibus ferè Bibliorum paginis refutat. Et aliàs sæpe vocabula, quæ Essentiam seu substantiam significant, Domino Deo nostro in scripturis tribuuntur, vt Hebr. 1.

Filius

Filius nominatur character substantiæ Dei patris. Exodi 3. Ego sum qui Sum. Qui Est misit me ad vos. Iohan. 8. Antequam Abraham fieret, Ego S V M. In his locis perspicuum est, verbum substantiuum non tantùm copulam seu nexum prædicati cum subiecto, sed παρυλικῶς significare seu vim significandæ subsistentiæ seu Essentiæ habere. Rectè igitur & piè DEVS definitur Essentia Spiritualis, intelligens, æterna, &c.

Spiritualis autem Essentia est, non corporea, non dimensionibus seu mole aliqua extensa, non lineamentis & finibus certis circumscripta, sicut Anthropomorphitæ Deo figuram corporis humani tribuerunt. Nam Deus est Spiritus. Iohan. 4. Spiritus autem carnem & ossa non habet, nec spacio locali instar corporum circumscribitur. Et Deus cùm sit essentia Spiritualis infinita, vbiq; suæ substantia totus præsens est.

Intelligens, non solùm mente & ratione seu facultate cognoscendi, ratiocinandi & iudicandi prædita, verùm etiam fons omnis intelligentiæ & sapientiæ salutaris. Psal. 32. Dominus finxit sigillatim corda

eorum

eorum & intelligit omnia opera eorum. Psal. 138. Intellexisti cogitationes meas de longè. & Prouerb. 24. Qui inspector est cordis, ipse intelligit.

Præcipuè autem opposita est hæc particula, idolis seu statuis, in quibus cum planè nihil mentis seu intelligentiæ, vitæ, sensus, aut motus esset, tamen diuinitatis aliquid inesse, vulgus apud Ethnicos existimabat. De quibus Psalmus 114. dicit: Idola gentium argentum & aurum, oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt &c. Itaq; statuæ nec Dij sunt nec imagines Dei, quem nulla mentis vel intelligentiæ similitudine repræsentant.

Homines verò sunt viuæ & veræ imagines Dei, quæ intelligentia et iusticia archetypum referunt: imò ipsum Deum esse naturam intelligentem conuincunt: οὐδὲν γὰρ ἀνόητον, τοῦ νοῦν ἔχοντος, ὅλον ὅλου κάλλιον ἐστι. Ideo autem Deus mentem intelligentem hominibus tribuit, vt Deum conditorem, & sapientiam, iustitiam, ac cæteras res à Deo conditas rectè agnoscere & intelligere possimus. Quare ad hunc vsum præcipuè nostras mentes, &

tes, & vim intelligendi, ratiocinandi, & iudicandi diuinitus nobis datam conferamus.

Æterna, quæ semper fuit, est, & erit: nec initium nec finem habens: ideoq; nullis temporum spaciis mensurari ac circumscribi potest. Esa. 40. Numquid nescis aut non audiuisti, Deus sempiternus Dominus qui creauit terminos terræ, & non deficiet, neque laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius, id est, est infinitæ sapientiæ & potentiæ. Rom. 16: Secundum mandatum æterni Dei. Gen. 21. Abraham inuocauit nomen Domini Dei æterni. Quare non sunt ad æternam essentiam Dei, temporum interualla, aut humanorum motuum successiones transferendæ, sicut & Physici ipsi fatentur: τὰ ἀεὶ ὄντα, ἢ ἀεὶ ὄντα, οὐ χρόνῳ ἔστι εἶναι. Siue igitur fuisse vel esse; vel natum esse, siue nasci ab æterno filium Dei dicas: non multum interest.

VERAX, fons veræ doctrinæ, iusticiæ & vitæ, verè sentiens ea quæ in verbo suo dixit: & constanter seruans ac certò tribuens ea, quæ in suo verbo promisit aut comminatus est: amans & requirens veritatem in

doctrina de sese, in omnibus artibus, iudiciis & contractibus. Ioh. 3. 7. & 8. Deus verax est. Rom. 3. Agnoscatur Deus verax, omnis autem homo mendax. Psal. 88. Misericordia & veritas precedent eum. Ad Titum 1. Vitam æternam promisit Deus ἀψεύδης.

Hortor autem studiosos, vt has proprietates seu attributa DEI, veritatem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, omnipotentiam: non oscitanter prætereant, vel tantùm inanes titulos esse existiment, sicut epitheta Diui, Felicis, Inclyti, Augusti, Inuictissimi &c. quæ regibus & principibus vsitatè tribui solent: sed verè ea Deo congruere, imò ipsam Essentiam Dei esse, & doctrinam amplissimam & vtilissimam ad rectam Dei agnitionem & pietatem veram, in mentibus nostris accendendam continere: imò totius Religionis & fidei nostræ fundamentum esse.

Nam huic Proprietati, videlicet Veritati DEI, tota fides, doctrina & Religio Christiana, velut basi, firmissimè innititur.

titur. Cùm enim DEVS verax sit, & mentiri nesciat, non dubium est verbum quoque ipsius, & totam doctrinam à Deo traditam, non inanes præstigias seu ambiguitates offusas hominibus tanquam pomum Eridos, sed veram, certam & immotam esse. Nec minas, inania μορμολύκεια; nec promissiones, vana θελκτήρια; sed firmas & ratas esse. Cùm igitur comminationes Dei certò veras esse statuimus, existit in animis nostris verus Timor Dei seu pœnitentia, expauescens agnitione iræ Dei aduersus sua peccata. Cùm promissiones in verbo Dei traditas, de remissione peccatorum & exauditione nostrarum precum & vita æterna, propter Christum mediatorem donanda, vera assensione amplectimur: oritur Fides seu Fiducia in Deo acquiescens & vincens dubitationes: oritur Inuocatio ad DEVM patrem accedens, & omnia bona ab eo petens & expectans: oritur Patientia & Spes seu expectatio certa liberationis ex omnibus malis & æternæ vitæ ac gloriæ. Hæc est enim vo-

 luntas

luntas Dei veracis, vt omnis qui videt filium et credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam. Nec imaginandæ sunt in Deo, cùm sit verax, voluntates contradictoriæ.

Hanc proprietatem Dei, in quotidianis exercitiis fidei, pœnitentiæ, inuocationis, patientiæ, spei, ad vsum transferre discamus. Et in tota reliqua vita, in discendis artibus, in iudiciis, contractibus, amicitiis, sermonibus, moribus & gestibus, seu dictis & factis omnibus, veritatem colere, & vera, hoc est, cum rebus ipsis, & animis nostris congruentia dicere & facere studeamus, vt Deo veraci similes & conformes reddamur.

BONA, expers omnis iniquitatis & peccati, & perfectè existens talis, qualem se in lege sua descripsit: benefaciens omnibus: & volens, nos esse bonos & rectos seu conformes legi suæ, & beneficos: fons & causa omnis boni creati, honesti, vtilis, & suauis, seu sapientiæ, iustitiæ & lætitiæ in Angelis & hominibus & ordinis in vniuersa natura: nec est causa mali, Psal. 118: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Nahum. 1: Bonus

est

est Dominus. Luc. 18: Nemo est bonus nisi solus Deus, videlicet intelligendo de bono essentiali, increato, immutabili, & perfecto, & fonte omnis boni creati. Nam nos boni sumus participatione: & semper καὶ περὶ ἀνὴρ ἀγαθὸς, ποτὲ μὲν κακὸς, ἄλλοτε δ' ἐσθλὸς. Deo autem propriè congruit versiculus: ἅπαν τὸ χρηστὸν τῷ ἴσην ἔχει φύσιν. Item: μόνος θεοῦ γέρας τέλεια ἀρετή.

Ad hanc perpetuam normam bonitatis & rectitudinis lucentē in mente seu lege diuina, nostras quoq; mentes & voluntates, & omnia vitæ consilia et actiones conformemus. Toto etiam pectore fugiamus furores Manichæorum, quos tamen sapientissimis & doctissimis viris probatos esse, Plutarchus scribit: δύο εἶναι θεὸς οἷον ἀντιτέχνους, τὸν μὲν τῶν ἀγαθῶν, τὸν δὲ τῶν κακῶν δημιουργὸν. Omnia enim quæ fecit Deus valde bona fuerunt. Multò igitur honestius, quàm Manichæi, Plato scripsit: Omni contentione pugnandum esse, ne quis in ciuitate, quam benè regi velit, vel senior vel iuuenis, seu in poëmate seu alia narratione dicat, Deum, cùm sit bonus, causam esse mali: Quod neq; san-

ctè ita dici poßit, neq; vtile sit moribus, neque secum consentiat in explicatione. Et Euripides in Bellerophonte: Εἰ θεοὶ τὶ δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσιν θεοὶ.

PVRA seu casta, munda, expers omnis maculæ & labis, flagitans munditiem animi & corporis cum voluntate sua congruentem, sanciens ordinem & leges castitatis in vita cœlibe & coniugali, & seuerißimè prohibens ac puniens vagas libidines & omnem spurcitiem, cum ordine castitatis à se instituto pugnantem. 1. Theß. 4. Hæc est voluntas DEI sanctificatio seu castitas vestra, vt abstineatis à scortatione, & vnusquisque suum corpus vni coniugi castum & sanctum seruet. Ebr. 13. Honorabile coniugium in omnibus & thorus castus seu impollutus; Scortatores autem & adulteros puniet Deus. Vt igitur Deus est mens casta & pura, ita nobis quoque casti pudoris decus, & in cœlibe & coniugali genere vitæ, reuerenter tuendum est, vt castum Deum casta et impolluta mente inuocare, & attributione castitatis à diabolis & hominibus spurcis insigniter discernere & vitatis

pœnis

nis vagarum libidinum, gratiam Dei, & reliqua dona diuina retinere possimus. Cùm enim, vt Tertulliani verbis vtar, omnes templa DEI simus, illato in nos & consecrato Spiritu DEI sancto: eius templi ædituus & custos Pudicicia est, quæ nihil immundum aut prophanum inferri sinit, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.

IVSTA, volens & faciens congruentia cum sua lege, quæ est norma Iusticiæ æterna & immutabilis: seuerè flagitans & præmiis ornans obedientiam erga legem: & puniens atrocia scelera atrocibus suppliciis in hac vita & æterna: & seruans æqualitatem erga omnes æqualiter se habentes. Deut: 32. Deus fidelis & absque omni iniquitate iustus & rectus. Psal. 10. Iustus Dominus & iusticiam diligit. Psal. 119. Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Hac proprietate DEI, piè & attentè considerata, verus timor Dei, seriò expauescens agnitione iustissimæ iræ Dei aduersus sua peccata, & filiali metu iræ

& iudicij diuini, vitans omnia scelera, & noua iusticia seu obedientia seu gubernatio morum & consiliorum actionumq; vitæ omnium, ad normam iusticiæ diuinæ congruens: Item Patientia placidè obediens Deo in ærumnis & pœnis, & cæteræ virtutes Deo placentes in cordibus accenduntur.

MISERICORS, miranda bonitate & Πατρικείᾳ propter filium μεσίτῳ καὶ ἱκέτῃ temperat rigorem iustissimæ aduersus nos peccatores iræ suæ: & afficitur vero sensu nostrarum miseriarum & calamitatum: opitulatur miseris: remittit peccata & mitigat pœnas etiam indignis & horribiliter pollutis, sed tamen ad thronum gratiæ, Christum mediatorem fide confugientibus.

Hanc proprietatem Dei, quæ fundamentũ est Iustificationis seu remissionis peccatorum & totius redemptionis ac salutis nostræ, illustribus verborum luminibus euoluit et explicat tota Euangelij doctrina, et in primis psalmus 103. Misericors & miserator Dominus, longanimis & multũ misericors. non in perpetuum irascetur, neq; in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit

nobis

nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra, corroborata est misericordia Domini super timentes eum. Sicut pater miseretur filiorum, misertus est dominus timentium se. Vbicunq; autem in psalmis mentio fit Misericordiæ Dei, semper addenda est mentio Christi Mediatoris promissi, propter quem solum nos indignos et horribiliter polluto s, Deus in gratiam recipit, & in profundum maris omnia peccata nostra abijcit.

Cumq; hæc proprietas, videlicet Misericordia Dei gratuita propter Christum promissa, fundamentum sit vniuersæ consolationis Christianæ, terroribus iræ Dei, peccati, mortis & desperationi opponendæ, assiduè in omni vita, in quotidiana inuocatione, in exercicijs pœnitentiæ, fidei, patientiæ, deniq; in tentationibus, doloribus & ærumnis, eam in conspectu habere & ad vsum transferre oportet. Eò etiam studiosius in communi consuetudine vitæ misericordiam erga alios homines exerceamus, & offensiones ac iniurias, ijs, à quibus læsi sumus, condonemus, & opitulemur miseris, vt Deo misericordi

similes, & grati simus, nec Dei erga nos gratiam & misericordiam amittamus. Luc. 6. Estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est. Math. 18: Sic nec pater vester cœlestis vobis remittet, nisi vnusquisq; vestrum fratri suo ex corde offensiones suas remittat.

LIBERRIMA, quæ sine vlla coactione & impedimento potest velle & agere, quæcunq; ipsius sapientiæ & bonitati diuinæ ac immutabili libent. Nec alligata est fatali necessitati, aut ordini naturæ à se conditæ: Sed potuit creare res, aut non creare: Potest res à se conditas, seu ordinem causarum secundarum conseruare & tueri, vel mutare & impedire: Potest vel per media à se condita, vel immediatè, supra & contra vsitatum naturæ ordinem agere & opem ferre inuocantibus ipsum, vt Moysi ad mare rubrum, tribus amicis Danielis in fornace Babylonica, Filio viduæ Sareptanæ in vitam reuocato opitulatus est. Psal: 113. Dominus noster in cœlo, omnia, quæcunque voluit, fecit. Ephes. 3. Deus potest

facere

facere super omnia, & excellenter supra quàm petimus aut intelligimus, iuxta potentiam efficacem in vobis. Hæc proprietas in quotidiana DEI inuocatione assiduè cogitanda & ad vsum transferenda est. Non enim possunt mentes humanæ, in magnis periculis & humano consilio inextricabilibus, & omni præsidio causarum secundarum destitutæ, firma fide petere à Deo & expectare auxilium & liberationem, dum fingunt DEVM catenæ Homericæ, seu fatali necessitati alligatum, non posse aliter facere quàm causæ secundæ ferunt.

IMMENSÆ POTENTIÆ, quâ omnia, quæ dicit & promittit, certò efficere, & præstare potest. Ab hac proprietate Dei, quæ cum veritate Dei coniuncta, fundamentum est omnium articulorum Fidei Christianæ, Symbolum Fidei nostræ ordimur, Credo in DEVM Patrem Omnipotentem. Luc. 1. Non est impossibile apud DEVM omne verbum. Genes. 17. Ego Dominus omnipotens. Exod. 15. Omnipotens nomen eius.

Et in

Et in libro Iob creberrimè hoc epitheton repetitur. Quare cùm Deus suo verbo, quod verum et certum esse scimus, voluntatem suam expressit, vt cùm affirmat, Filium suum ex virgine hominem natum, semper & vbiq; etiam in his terris affore Ecclesiæ suæ, & extrema die omnes mortuos in vitam reuocaturum esse; nostrum non est de modo aut possibilitate anxiè quærere, sed τὸ ῥητὸν θεοῦ, simplici fide amplecti, & Deo veritatis ac omnipotentiæ laudem tribuere debemus. Quòd autem cauillantur aliqui, Deum non posse peccare, non posse factum reddere infectum, non posse efficere, vt duæ contradictoriæ simul sint veræ aut falsæ &c. respondetur Deum posse facere omnia quæ facere est potentiæ, non impotentiæ: & quæ cum ipsius veritate & cæterarum virtutum harmonia non pugnant.

ET SAPIENTIÆ, quæ est perfecta suæ ipsius diuinæ essentiæ & voluntatis, & omnium aliarum rerum à se conditarum scientia: & in primis mirandi consilij de ordine creationis & redemptione generis humani noticia perfecta. Roma. 16. Soli sapi-

sapienti Deo gloria. εἷς θεὸς ἐστι σόφος, δύνατος ἅμα καὶ πολυόλβος. Syrac 1. Omnis sapientia à Deo est & apud ipsum est ab æterno. Psal. 146. Sapientiæ eius non est numerus. Iacob. 1. Si quis indiget Sapientia, petat à Deo, qui dat omni simpliciter. Est autem summus gradus sapientiæ humanæ, Deum conditorem rectè agnoscere & piè colere iuxta ipsius verbum. Hac lucerna verbi diuini non præeunte, homines in tristissimis tenebris ignorationis Dei & æternæ mortis versantur: ac verè sapientia humana tantùm est ἀμφισβητήσιμον ὄναρ. Quare à Deo quotidie ardentibus votis petamus, vt ipse nos doceat, & verè sapientes. h. rectè agnoscentes Deum & regentes vitæ consilia & actiones iuxta verbi diuini normam efficiat.

In definitionibus Examini ordinandorum adiunctis, descriptioni DEI hæc quoque particula inserta est: ALIA A MVNDI CORPORIBVS & CREATVRIS OMNIBVS. Quæ Stoicis præcipuè, & recentibus quorundam opinionibus, qui Essentiam Dei in omnibus

nibus sanctis perinde vt in Christo habitare scripserunt, opposita est. & Stoici imaginabantur Deum esse mentem permixtam & diffusam per omnia mundi corpora, cientem & agitantem omnia, sicut animæ corporibus humanis infusæ sunt. vt ex secundo libro de natura Deorum Ciceronis & 6. Aeneid. Virg. apparet.

Principio cœlum et terram camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.

Monent igitur hæc verba Definitioni inserta, DEVM separabiliter adesse omnibus creaturis & conseruare earum substantias tantis per donec vult eas conseruare. Etsi enim enter præsenter Deus hic & vbiq; potenter est, tamen non ita permixtus & alligatus est mundi corporibus, vt sit vnum cum eis ὑφεσάμενον. Adest enim vbique omnibus creaturis totus & integer, & cœlum ac terram sui præsentia implet, & tamen simul est extra omnes creaturas, & multas destruit ac tollit, vt maximam hominum multitudinem in diluuio extinxit. Hæ Proprietates

seu at-

seu attributa Dei, aliquo modo Quid & Qualis sit Deus, & Quales nos, ad imaginem Dei conditos, esse oporteat, ostendant. Itaq; singularum ferè Definitiones & vsum ac praxin in vera pietate & exercitijs pœnitentiæ, Fidei, Inuocationis & obedientiæ erga Deum excitandis & alendis breuiter monstraui: ne velut inanes tituli oscitanter præterirentur.

Nunc alterum Definitionis membrum sequitur Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago patris coæterna: & Spiritus sanctus procedens à patre & filio: sicut patefacta est diuinitas certo verbo &c. Quod trium personarũ nomina et discrimina continet. De quibus primùm moneo, vt non de numero & natura & modo generationis ac processionis personarum ociosè & curiosè potius, quàm de singularũ officijs et beneficijs, quæ in nos cumulatè effundũt, piè cogitemus: sicut ipsa scriptura nos non tantùm speculatiuè, sed multò magis practicè, de æterni Patris, Filij & Spiritus sancti diuinitate erudit.

Proponit nobis Deum Patrem, vt nos ab eo paterna benevolentia diligi, foueri, ali, defendi, & omnibus bonis animæ & corporis

præsentibus & æternis ornari statuamus: et in omnibus ærumnis ac doloribus, ad ipsum tanquam ad Patrem φιλόστοργον confugientes firma fiducia in ipso adquiescamus: sicut ea de causa στοργὰς pectoribus parentum insitæ sunt, vt de Dei Patris amore ardenti erga Filium & erga nos commonefieremus.

Proponit Filium Mediatorem & Redemtorem ac victimam pro nobis factum, vt per eum ac propter eum remissio peccatorum & salus æterna nobis detur. Iubet hæc beneficia Filij Fide amplecti, & fiducia Filij mediatoris ad patrem accedere, & ipsum Filium Dei inuocare, & ei confidere. Ita enim verissimè ei honorem diuinitatis tribuimus.

Sic Spiritum sanctum proponit scriptura παράκλητον, doctorem; gubernantem, erigentem & consolantem pios: & iubet nos ardentibus votis hunc gubernatorem expetere, & verbo Dei, per quod est efficax Spiritus sanctus, erudire, erigere & consolari.

In hac consolatione & viuificatione & exercicijs Fidei ac inuocationis quotidianæ, rectius agnoscentur Tres Personæ et Filij Dei ac Spiritus sancti diuinitas, quàm in prophanis &

nis & curiosis disputationibus, quæ tamen non explicant arcanam naturam Dei.

Extructum est autem hoc secundum Definitionis membrum ex sequentibus scripturæ testimoniis, quæ docent, Tres esse eiusdem naturæ diuinæ, non nominibus tantummodò, aut ratione sola, sed verè & realiter distinctos & singulares intelligentes, Deum æternum Patrem, Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum. *Math 28: Baptizantes eos in nomen Patris & Filij & Spiritus sancti. Oportet autem nos baptizari sicut accepimus.: Credere autem sicut baptizamur: glorificare autem sicut credimus patrem filium & Spiritum sanctum, eiusdem diuinitatis, gloriæ, & maiestatis, ὁμοουσίους, vt Basilij verbis vtar. Vnus est enim verus Deus, cum quo fœdus in Baptismo facimus. Nominatim autem & disertè tres distinctos & singulares, Patrem Filium & Spiritum sanctum verba Baptismi recensent, & his parem potentiam & honorem diuinitatis tribuunt. Tres igitur eiusdem naturæ & potentiæ diuinæ verè subsistentes, & inter se*

distinctos, non confusos aut commentitios esse, certissimum est.

Perspicuè etiam & nominatim recensent & discernunt tres personas sequentia dicta: 1 Ioh. 5 Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, λόγος & Spiritus sanctus; & hi tres vnum sunt.

Gal. 4: Misit Deus Spiritum Filij sui, in corda nostra, clamantem Abba Pater.

2 Cor. 13 Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.

Iohan. 14. Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Hunc Paracletum à patre & filio distinctum peculiari specie in oculos incurrente effundit Deus in Apostolos die Pentecostes Actor. 2.

Iohan. 15. Cùm venerit Paracletus, quem Ego mittam à patre, Spiritus veritatis, qui à patre procedit.

1. Petri 1. Dilectis iuxta præfinitionem Dei patris, per sanctificationem Spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi.

1. Ioh.

1. Ioh. 4. Ex hoc cognoscimus, quòd in Deo maneamus, & Deus in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis & nos vidimus & testamur, quòd Deus misit Filium seruatorem mundi.

Titum 3: Apparuit benignitas & erga homines amor seruatoris nostri Dei, qui secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum.

Ephes. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi &c. vt fortitudine coroboremini per Spiritum sanctum.

Iohan. 1. Qui misit me vt baptizarem, dixit: Super quem videris Spiritum sanctũ descendentem & manentem super eum, Hic est, qui baptizat spiritu sancto, & ego vidi et testificatus sum hunc esse Filium Dei.

Roma. 8. Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati &c. Quod si Spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, qui excitauit Iesum ex mortuis viuificabit etiam mortalia corpora vestra propter ipsius Spiritum inhabitantem in vobis.

Deniq; omnium clarissima reuelatio Trium Personarum verè & re ipsa inter se distinctarum, Iohanni Baptistæ & toti multitudini, quæ, cùm Christus baptizaretur, ad Iordanem conuenerat, monstrata est, vbi æternum Patrem de cœlo testificantem Iohannes audit: Hic est filius meus dilectus, quo delector, HVNC AVDITE. Filium coram videt astantem, egressum ex aquis Iordanis. videt & Spiritum sanctum peculiari specie corporali insidentem filio. Hæc miranda reuelatio eam ob causam præcipuè tunc exhibita & literis mandata est, vt omnium temporum ecclesiam de discrimine Trium Personarum erudiret: ac vt in quotidiana, inuocatione hunc vnum solum verum, DEVM qui se in Baptismo Christi patefecit hac voce, Hic est filius meus dilectus, Hunc audite, compellemus: eumq; propter filium dilectum nobis propitium esse credamus, & Spiritu sancto, accendente nouam & æternam iustitiam in his, qui filium audiunt, nos sanctificari petamus.

Nec verò in noui Testamenti libris solummodo hæc Doctrina de æterno Patre, filio

lio & Spiritu sancto tradita est, verumetiam in ecclesia Patrum & Propheterarum nota fuit & illustribus testimoniis confirmata. Disertè enim & expressè nominatur Filius Dei Dominus noster Iesus Christus Psal. 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Osculamini filium, Beati omnes qui confidunt in eo. Nec dubium est ad hæc ipsa Psalmi verba respexisse æternum Patrem, cùm in Baptismo Christi hanc vocem de cœlo sonuit: Hic est filius meus dilectus: & Iohannem Baptistam Ioh. 3. concionantem, Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui verò non crediderit, manet IRA Dei super eum.

2. Regum 7. Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi filius. Hæc verba promissionis Dauidi factæ Epistola ad Hebreos cap. 1. Psal. 88. & Petrus Acto. 2. de filio Dei Domino nostro Iesu Christo disertè interpretatur.

Prouerb. 30. Quod nomen est eius & quod nomen est FILII eius, si nosti. Omne Verbum Dei igne purgatum clypeus est sperantibus in se.

Daniel. 3. Quarti ſpecies ſimilis eſt Filio Dei: quem tribus veri Dei confeſſoribus Iſraelitis in fornace ignis adeſſe Rex Babylonicus videt. Oſe. 11. Matth. 2. Ex Ægypto vocaui filium meum. Pſal. 71. Fuit nomen eius ſemper, ante Solem filiabitur nomen eius, et benedicentur in eo omnes gentes.

De Spiritu ſancto etiam vbiq; in Prophetis illuſtria teſtimonia extant. Eſa. 63. Vbi eſt qui poſuit in medio Spiritum ſanctum ſuum, qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ? Spiritus Domini ductor eius fuit. Eſa. 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Eſa. 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit me. Pſal. 51. Ne proïcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Zach. 7. Verba quæ miſit Dominus exercituum in Spiritu ſuo ſancto per manum Prophetarum priorum Ioel. 2. effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem. Hæc dicta perſpicuè conuincunt, non ſolùm Deum Patrem æternum verùm etiam filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & Spiritum ſanctum omnibus temporibus Eccleſiæ notum fuiſſe.

Etſi

Etsi autem alia dicta aliis illustriora & firmiora sunt, tamen passim in veteri Testamento *non obscurè mysterium Trinitatis significatum & traditum est: Quod vt studiosi facilius & rectius obseruare in veteris Testamenti lectione possint, Quatuor Regulas adiungam.*

Primum aliquot in locis Tres diuinitatis Personæ nominibus ferè expressis coniunguntur: *vt in Testamento seu nouissimis verbis Dauidis 2. Reg. 23. Hæc sunt verba nouissima, quæ dixit Dauid filius Isai: dixit vir, cui constitutum est* de Christo Deo Iacob, *egregius Psaltes Israelis.* Spiritus Domini *locutus est per me & sermo eius per linguam meam factus est.* Deus Israel *mihi locutus est, fortis Israel, dominator hominum iustus dominator in timore Dei. Exod. 15. Moyses pro miranda liberatione ex Ægypto & eductione populi per mare rubrum gratias Deo agens expressè tres personas nominat. Primò Deum æternum Patrem, Fortitudo & laus mea Dominus & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus & glorificabo eum, Deus Pater meus exal-*

exaltabo eum, Dominus est vir bellator, Iehoua est nomen eius. Deinde Filij personam indicat appellatione Dexteræ Dei, qua vsitatißimè in Prophetis & præcipuè in Esaia, filius Dei, qui est δύναμις æterni Patris significatur: Dextra tua Domine percußit inimicum. Tertiò Spiritum sanctum nomine notat, cùm inquit: Et in Spiritu faciei tuæ congregatæ sunt aquæ. Non enim ventum sed ipsum spiritum Dei sanctum his verbis à Moyse notari docet optimus & luculentißimus Moysis interpres Esaias cap. 63. vbi hæc ipsa Moysis verba repetens & euoluens inquit: Recordatus est dierum seculi Moysis & populi sui, vbi est qui eduxit eos de mari? Qui eduxit Mosen Brachio maiestatis suæ, Spiritus Domini ductor eius fuit, Sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.

Sensit etiam tota vetustas, Moysen in ipso Geneseos vestibulo describentem creationem rerum ex nihilo, distinctè trium Personarum mentionem fecisse. Disertè enim nominat Spiritum Dei, qui ferebatur super aquas, & res nascentes fouebat & viuificabat. Deinde

inde cùm Iohannes initio sui Euangelij filio Dei tribuat τοῦ λόγου seu verbi appellationem: & per hoc verbum, quod est filius Dei, omnia facta esse affirmet: existimant his verbis Dixit Deus, quæ toties repetuntur, duas distinctas personas significari: vnam Patris dicentis seu gignentis verbum, quod est ipsius imago, per quod omnes res condidit: alteram λόγον seu verbum genitum à Patre per quod omnia facta sunt. Et congruit huic interpretationi versiculus Psalmi 33. in quo æternus Pater, & λόγος τοῦ πάτρος, & spiritus sanctus, ad eiusdem honoris societatem, in creatione cœli & terræ coniunguntur. Verbo Domini cœli facti sunt & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Hactenus primæ Regulæ exempla recitaui, quibus etiam reuelationem diuinitatis Patriarchæ Abraham propè oppidum Hebron factam adiungemus, Gen. 18. Apparuit Abrahæ Iehoua in conualle Mamre: cumq; aperuisset oculos suos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset adorauit pronus in terra, & dixit, Domine si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum

seruum tuum &c. Hanc historiam tota antiquitas iudicauit testimonium esse de vnitate Essentiæ & Tribus Personis diuinis. Quæ cùm illustri discrimine se distinctas Abrahæ ostendant, vnus tamen Dominus seu Iehoua ipsi apparuisse scribitur, quem vnum etiam in sua oratione Abraham compellat. Et variatione numeri singularis & pluralis non obscurè indicatur vnum esse verum DEVM seu Iehoua & tamen plures esse verè & realiter inter se distinctos, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sicut ipse filius Dei ad hanc historiam Abrahæ respiciens, Ioh. 8 inquit: Abraham vidit diem meum & lætatus est. Et Iacob videt Dominum nostrum Iesum Christum facie ad faciem, h. ostendentem se ea ipsa forma seu idea naturæ humanæ, quam postea assumturus erat.

II. Cùm nomina veri Dei propria Iehoua, Elohim, Adonai &c. in continua oratione bis vel ter repetuntur, sciant studiosi plures personas eiusdem naturæ seu essentiæ diuinæ significari. *Psal. 66. Benedicat nos Deus (Pater) Deus noster (Christus Immanuel) benedi-*

benedicat nos Deus (Spiritus sanctus) & metuant eum omnes fines terræ. Ps. 44. Vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ propter consortes tuos. O vncte æterni læto spiramine Patris, Gnate Dei, socios vngito Christe tuos. Numer: 6. Benedicat tibi DOMINVS & custodiat te. Ostendat DOMINVS faciem suam tibi & misereatur tui. Conuertat DOMINVS vultum suum ad te & det tibi pacem. Exod. 34. Cum descendisset DOMINVS in nube, stetit cum Moyse, prædicans in nomine Domini. Et transibat DOMINVS coram eo clamans, DOMINE DOMINE Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax &c. In hac insigni historia filius Dei Iehoua descendens & tectus nube significat se constituto tempore indutum humana natura in terris versaturum & in nomine Domini Dei Patris prædicaturum esse, primùm de Essentia & natura Dei, quòd sit Iehoua Iehoua El. h. vnus & Trinus æternus Pater, Filius & Spiritus sanctus. Deinde de voluntate Dei in Lege & Euangelio reuelata, quod vtz. gratuita misericordia & clementia remittat peccata & tollat iniquitatem & scelera

omnium qui ad ipsius misericordiam fide confugiunt. Et rursum seueriſsimè puniat peccata omnium non agentium pœnitentiam.

Genes. 48. Deus in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & Iſaac: Deus qui me paſcit à iuuentute mea vſq; in præſentem diem: & Angelus qui eruit de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.

Eſa. 6. Propheta videt DOMINVM ſedentem in ſolio excelſo &c. Et Seraphim clamantes audit, Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS Deus Zebaoth. Plena eſt omnis terra gloria eius. Id τρισαγιον repetit Iohannes Apocal. 4. Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

III. Myſterium Trinitatis in veteri Teſtamento indicat DEVS de ſe ipſo loquens numero plurali. Vt ipſum nomen Dei vſitatum ELOHIM, cùm ſit numeri pluralis, & ſemper ferè, cùm de vno & æterno Deo dicitur, verbum aut pronomen ſingulare adiunctum habe-

habeat: vbiq; pium lectorem de vnitate Essentiæ & pluribus personis Diuinitatis commonefacit. *Ideoq; etiam ipsum nomen veri Dei proprium & singularis numeri tantùm IEHoua nomini plurali Elohim coniungitur. Genes. 1. In principio creauit Deus (Elohim, Dij) cœlum & terram. Et postea, Dixit Elohim, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Deliberant enim inter se tres Personæ Diuinitatis de creatione hominis qui omnium operum Dei finis & diuinæ sapientiæ, iusticiæ & bonitatis templum viuum futurus erat.*

Genes. 3. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. *Sunt enim hæc verba Dei verè condolentis Adamo, quod adeo miserabiliter se à Diabolo decipi, passus esset, quasi sapientia similis vni ex tribus personis Diuinitatis futurus esset. Nunc verò magno & inenarrabili suo damno eum boni & mali scientiam adeptum esse, & cognoscere non tantùm quæ bona amiserit, verum etiam ingentia & tristissima mala animæ & corpo-*

ris

rũ præsentia & aeterna, in quæ seipsum & totam posteritatem coniecit. Genes. 11. Et dixit Iehoua, venite descendamus & confundamus ibi linguas eorum.

IIII. Cùm in veteri Testamento Deus de Deo tanquam de alio à se distincto loquitur, simul ostendit plures eiusdem Essentiæ seu naturæ diuinæ personas esse. Ose. 1. Et dixit Iehoua: Domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Iehoua Deo suo, & non saluabo eos in arcu & gladio. Promittit Deus se liberaturum esse Ecclesiam non humanis præsidiis & armis, sed per Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui est autor & donator vitæ & salutis æternæ, vt Matth. 1. dicitur: vocabis nomen eius Iesum qui saluum faciet populum suum à peccatis suis.

Dan. 9. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui & preces eius & aspice templum tuum quod desertum est propter Dominum scilicet Christum mediatorem promissum. Genes. 19. Pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Iehoua de cœlo. Exod. 33. Et dixit Moyses ostende mihi

mihi gloriam tuam. Et respondit Iehoua, Ego transire faciam omne meum bonum coram te: & prædicabo in nomine Iehoua coram te: propitius ero, cui propitius ero, & miserebor cuius miserebor. Cupit Moyses videre filium Dei Redemptorem Adæ & Abraham promissum, qui est splendor gloriæ & character substantiæ Patris: de quo Iohannes Euangelista inquit: Vidimus gloriam eius quasi unigeniti à Patre. Hunc Filium Dei, in quo est omnis plenitudo bonorum Dei, respondet Deus Pater se oculis populi Israel, cui Moyses præerat, exhibiturum esse. Excipit autem hanc vocem ipse Filius Dei affirmans se in nomine Iehoua seu Dei Patris prædicaturum esse de gratuita bonitate & misericordia Dei offerentis remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam, non propter vlla nostra opera aut merita, sed propter solum Dominum promissum. Exod. 34. Cum descendisset Iehoua in nube stetit cum Moyse prædicans in nomine Iehoua. Et transibat Iehoua coram eo, clamans, Iehoua, Iehoua, El. Iehoua Filius Dei indutus nube stat iuxta Moysen & prædicat in nomine Iehoua seu Dei Patris. sicut etiam in secundo Psalmo

similis Dialogismus personarum instituitur, cùm æternus Pater inquit: Ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum. Filius autem respondens ait se prædicaturum esse de hoc præcepto, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Postea iterum loquitur Pater, Postula à me, seu intercede apud me & deprecare pro genere humano, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.

Ad has quatuor classes, pleraque veteris Testamenti dicta, in quibus plurium personarum diuinitatis mentio fit, referri possunt, quorum consideratio, piæ menti, antea ex Euangelio confirmatæ, non ingrata est.

Nunc descriptiones singularum Personarum & discrimina præcipua breuissimè indicabo.

PATER ÆTERNVS est prima Persona diuinitatis, non nata, quæ ab æterno genuit Filium coæternum imaginem suam & in baptismo Christi se patefecit, & à filio discreuit hac voce, Hic est Filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite: & vna cum Filio & Spiritu sancto omnes res alias condidit, & conseruat: & Filium & Spiritum

tum sanctum ad Ecclesiam mittit, & per eorum ministerium efficax est ad salutem omni credenti.

FILIVS DEI DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, est secunda Persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed ab æterno genita ex Patre, substantialis & integra imago Patris, qui vna cum Patre omnes res alias condidit, & Euangelion immediatè patefecit. Qui Filius mirando Diuinitatis consilio constitutus Mediator & Redemptor, humanam naturam ex virgine Maria assumptam, personali vnione sibi copulauit, & factus est victima pro genere humano, & per eum, ac propter eum donatur nobis ab æterno Patre remissio peccatorum & salus æterna.

SPIRITVS SANCTVS, est tertia persona diuinitatis, procedens à PATRE & FILIO, & vtriq; ὁμοούσιος & συναΐδιος: Quæ in prima creatione fouit & viuificauit omnes res nascentes, & postea omnibus temporibus mittitur, vt ministerium docendi in ecclesia gubernet, & per euangelium corda piorum regeneret & sanctificet, hoc est, no-

nam lucem veræ agnitionis Dei, veram consolationem in omnibus ærumnis, veram iustitiam, vitam & lætitiam in eis accendat.

DISCRIMINA PERSONARVM, quæ Deus in verbo suo patefecit, triplicia sunt: I. A characteristicis idiomatis seu Notionibus personalibus, vt in scholis nominant, seu operibus ad intra, sumptum est. Pater est ἀγέννητος, persona non nata, sed gignens Filium coæternum imaginem suam. Filius est persona ab æterno genita ex patre, consubstantialis & integra imago Patris. Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Heb. 1. Est splendor gloriæ & imago substantiæ Patris. Spiritus sanctus est persona non creata, nec genita, sed ab æterno procedens à Patre & à Filio. Ioh. 15. Qui à Patre procedit. Gal. 4. Misit Spiritum Filij sui in corda nostra. Ioh. 16. Ex meo accipiet.

II. Ab externa patefactione facta in Baptismo Christi & alias. Pater æternus patefecit se, & à Filio discreuit hac voce: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Matt. 3. Filius assumpsit humanam naturam, &

habita-

habitauit in nobis, factus est victima, & ex morte resurrexit. Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ Matt. 3. Ioh. 1. & linguarum ignitarum. Act. 2.

III. Ab officio singularum personarum. Pater mittit Filium & Spiritum sanctum, & est efficax per eorum ministerium ad salutem omni credenti. Filius mittitur à Patre, vt proferat Euangelion ex arcano sinu Patris, intercedat pro genere humano in peccatum & mortem lapso, assumat humanam naturam, fiat victima pro peccatis hominum, & sua obedientia ac sanguine redimat ecclesiam, eamq; in hac vita regat, defendat, & resuscitatam ornet vita & gloria æterna. Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio, vt per Euangelion lucem veræ agnitionis Patris & Filij, & suiipsius, veram iustitiam & vitam in cordibus hominum accendat, & in omnibus ærumnis & doloribus pios consoletur & confirmet. Ioh. 15. Quem ego mittam vobis à Patre.

Tertia pars Definitionis primum effectum seu primum opus omnipotentiæ, bonitatis & sapientiæ diuinæ describit. Quod

Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet cœlum & terram & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quod ad conseruationem attinet. *Est autem Creatio rerum, actio externa Dei, qua Deus volens, omnes alias res visibiles & inuisibiles ex nihilo fabricauit, hoc consilio, vt æternam Ecclesiam sibi ex Angelis & Hominibus ad imaginem suam conditis colligeret: à qua rectè agnoscatur & in æternum celebretur. Nam vniuersum hoc theatrum naturæ rerum ideo à Deo conditum, & miranda arte ac sapientia distributum & ornatum est, vt Deum opificem seu δημιουργὸν σοφόν τε καὶ φιλόζωον nobis monstret: & schola sit sapientiæ, bonitatis, præsentiæ & omnipotentiæ Dei: qui ab Angelis & Hominibus à se conditis vult agnosci & celebrari: ijsque vicissim se ipsum & omnia sua bona impertire. Quare & initio symboli Fidei Christianæ, hoc proprio omnipotentiæ diuinæ opere DEVM à commentitiis numinibus discernimus: Credo in DEVM Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.*

Vt au-

Vt autem epitheton Omnipotentis, non soli Patri, verùm etiam Filio & Spiritui sancto conuenit & tribuendum est: ita creatio & conseruatio cœli & terræ, quamuis Deo Patri, tanquam fonti Diuinitatis, vt ita loquar, & præcipuè in opere creationis clarissimè patefacto, asscribitur: tamen commune opus est æterni Patris Filij & Spiritus sancti. sicut primum caput Genes. de creatione testatur. et de præsentia Dei in rebus conditis omnia conseruantis, fouentis & alentis, passim obuia sunt dicta: Act. 17. Tam propè adest Deus omnibus nobis penè vt manibus contrectari possit, Quia in ipso viuimus, mouemur & sumus. Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

De Filio omnia creante & sustentante testimonia illustria sunt: Ioh. 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Ioh. 5. Pater meus vsq; modo operatur & ego operor. Item. Omnia quæ Pater facit, eadem & Filius similiter facit. Coloss. 1. Per filium condita sunt

omnia, quæ in cœlis & super terram sunt, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, Omnia per eum & in eum condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per eum consistunt. Ebr: 1. Sustentans omnia verbo suo omnipotenti.

De spiritu sancto statim in primo vestibulo historiæ creationis scriptum est. Spiritus Dei fouebat aquas. Iob. 33. Spiritus Dei fecit me & spiraculum omnipotentis viuificauit me. Iob. 26. Spiritus Dei ornauit cœlos. Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Hæc dicta perspicuè ostendunt, non soli Patri, verùm etiam Filio & Spiritui sancto titulum & honorem creatoris cœli & terræ conuenire. Non igitur verè & propriè discernuntur personæ actionibus externis ita vt Pater creator, Filius Redemptor, Spiritus Sanctificator nominetur. Nam creatio, redemptio, iustificatio, sanctificatio & cætera diuinitatis opera & beneficia externa, absolutè seu per se considerata, omnibus tribus per-

personis pariter communia sunt, nisi quod precium Redemtionis à solo Filio persolutum est. Tribuuntur autem interdum singulis personis pro vt peculiariter se in hoc vel alio opere præcipuè persona aliqua patefecit et hac notione discerni & conspici voluit. Ita Pater se præcipuè in opere creationis & missione Filij, Spiritus sanctus in accendenda noua luce, iustitia, gaudio, igni amoris diuini & cæteris virtutibus patefecit: cùm tamen hæ effectiones ab omnibus tribus personis pariter existant.

Perspicuè etiam ostendunt hæc testimonia, falsò & impudenter recentes Antitrinitarios toties iactitare, Deum essentiam, vel vnum & trinum, nihil vnquam egisse verbo vel opere, sed omnia semper dixisse & fecisse vnum Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto. Qua forma verborum Filium & Spiritum sanctum multò Patre inferiores esse dignitate & honore significant. Atqui non tantùm per Filium tanquam per instrumentum aut ministrum omnia condita esse, verùm etiam Filius & Spiritus sanctus, non aliter ac Deus Pater, ipsi omnia condidisse

scribuntur. Iob. 33. Spiritus Dei fecit me. Genes. 1. Spiritus Dei fouebat aquas. Ioh. 5. Pater meus vsq; modo operatur & ego operor: vbi diserta etiam Iudæorum confessione se Deo Patri æqualem facit.

Sequitur postrema pars Descriptionis Dei: Et in genere humano condito ad imaginem suam & certam obedientiam colligit sibi ecclesiam, vt ab ea hæc vna & vera diuinitas patefacta certis testimonijs & per verbum traditum Prophetis & Apostolis agnoscatur & colatur iuxta verbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc vera diuinitas in vita æterna celebretur, & sit Iudex bonorum & malorum: *Quæ finem & vsum patefactionis Doctrinæ à Deo traditæ, videlicet collectionem Ecclesiæ rectè Deum agnoscentis & in omni æternitate celebrantis, demonstrat: & Hypothesin ac fundamentum totius Theologiæ, seu normam & Regulam veræ agnitionis Dei & omnium cultuum immotam ponit, vtz DEVM non aliter agnosci & coli velle, quàm sicut se in*

suo

suo verbo patefecit & coli præcepit. Sunt autem hæc postrema Definitionis verba ex sequentibus scripturæ testimoniis deprompta.

Quod enim Deus in genere humano condito ad imaginem suam eligat sibi æternam Ecclesiam h. cœtum hominum rectè Deum agnoscentem & piè colentem iuxta verbum ab ipso traditum, & hæredem vitæ ac gloriæ æternæ, testantur dicta, Ephe. 3. Qui omnia creauit, vt innotescat per Ecclesiam multiformis sapientia DEI in Christo Iesu Domino nostro. Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Est autem Imago Dei, similitudo sapientiæ, iustitiæ & libertatis attributæ hominibus in prima creatione congruens cum Archetypo, in quo lucet sapientia sanciens discrimen recti & praui, & iustitia seu rectitudo congruens cum sapientia, & Libertas sponte & seriò volens recta & reijciens contraria. Esa. 43. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit: in gloriam meam creaui eum & feci eum. Esa. 44. Formaui te, seruus meus es tu, non obliuiscaris mei: deleui vt nubem iniquitates

tuas & quasi nebulam peccata tua. Exod. 19. Mea est omnis terra. Et vos si audieritis vocem meam & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, in Regnum sacerdotale & gens sancta. Psal. 32. Beata gens cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Mar. 16. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ &c.

Quod autem Deus hoc vno modo se agnosci, inuocari & coli velit, vt ipse se in suo verbo per Filium suum, Prophetas & Apostolos tradito, & certis testimonijs miraculorum confirmato, patefecit: & ad hoc verbum vniuersam ecclesiam alligauerit: nec aliam Dei voluntatem quæri & cogitari velit nisi hanc vnicam et solam, quæ in scriptis Prophetarum et Apostolorum reuelata est: & omnes opiniones ac cultus cum hoc verbo à se tradito pugnantes reijciat & damnet: in prolegomenis testimonia collecta sunt. Matt. 17. Hic

est

est filius meus dilectus, quo delector, HVNC AVDITE. Ioh. 5. Scrutamini scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Roma. 10. Ne dicas quis ascendet in cœlum aut quis descendet in infernum? propè te est verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc est verbum Fidei quod prædicamus. Luc. 16. Habent Moysen & Prophetas, illos audiant. Gal. 1. Si quis aliud Euangelion prædicauerit, anathema sit. Deut. 4. Non addetis ad verbum quod loquor, neq; auferetis ab eo. Deut. 12. Quæ tibi præcipio hæc tantum facito Domino, non addas aliquid neq; minuas. Esa. 8. Nunquid non populus consulet Deum suum, nunquid interrogabit mortuos pro viuis? Ad Legem & ad Testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Ephes. 2. Extructi estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, existente lapide angulari Iesu Christo.

Similia scripturæ dicta, quæ hoc fundamentum totius Fidei & Religionis Christianæ confirmant, 2. Tim. 3. 1. Tim. 4. 2. Pet. 1. Iohan. 12. 14. 1. Cor. 1. & alibi diligenter & at-

& attentè pij obseruent : & non tantùm in agnitione Dei, & cultibus ipsi præstandis, verùm etiam in doloribus & ærumnis omnibus & in media morte, consolationem firmam & efficacem ex solo hoc verbo diuinitus tradito hauriendam esse sciant : nec aliam Dei voluntatem ergà nos arcanam fingi debere præter eam quæ in verbo reuelata est.

Postremò Definitioni DEI in Examine ordinandorum additur particula Quòd sit Iudex bonorũ & malorum, quæ sæpissime in sacris literis repetitur & inculcatur. Peculiaris enim aculeus, excitans animos ad verum timorem Dei ac Fidem et vigilantiam in omnibus vitæ consiliis & actionibus piè regendis, est consideratio seueræ iustitiæ & iræ diuinæ aduersus peccata, ac inprimis tremendi illius & iustissimi iudicij, quod post mortem omnes subituri sumus, in quo, iudici bonorum & malorum et inspectori cordium nostrorum Deo, de omnibus dictis & factis rationem nos reddere oportebit. In hunc finem vitæ nostræ assiduè intueamur, sicut & Salomon Ecclesiastæ suo hanc admonitionem efficacissimè impellentem animos

ad

ad verum Timorem Dei & pœnitentiam ac vitæ emendationem seriò suscipiendam Colophonis loco addit. Finem concionum pariter omnes audiamus: DEVM time, & mandata eius obserua, Hoc est precipuum omnibus hominibus. *Cuncta quæ fiunt adducet* DEVS *in iudicium etiam occulta siue bonum siue malum sit. Quare in Descriptione Dei conuenienter huius iudicij diuini mentio in fine facta est: de quo passim extant testimonia. Psal. 7. Deus iudex iustus, fortis, & patiens, & qui quotidie minatur. 2. Timoth. 4. Coronam iustitiæ reddet mihi Dominus iustus Iudex. Roma. 2. Reuelabitur iustum iudicium Dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera sua: his quidem qui in bono opere perseuerantes gloriam & honorem quærunt, vitam æternam; Inobedientibus autem veritati & obtemperantibus iniustitiæ, indignatio & ira, afflictio & angustia super omnem animam hominis facientis malum.*

Explicaui hactenus usitatam descriptionem Dei, quæ summam Doctrinæ de verâ Dei agnitione, omnibus ad animarum salu-

tem

tem cognitu necessariæ continet: ac inprimis studui testimonia scripturæ, ex quibus singula ferè verba Definitionis sumpta sunt, & vsum ac praxin singularum Definitionis partium, in quotidiana inuocatione, & exerciciis pœnitentiæ, Fidei & gubernationis consiliorum & actionum vitæ, demonstrare.

Nunc DE VNITATE DEI admonitionem adiungam. Etsi enim Ethnici quoq;, ex ordine causarum efficientium, essentialiter inter se ordinatarum, ita vt posteriores sine prioribus nec esse nec agere poßint, firmißimè ratiocinantur, necessario tandem perueniri ad vnam primam causam infinitæ potentiæ efficientem, quæ ex se ipsa vim mouendi habeat, sicut Aristoteles lib. 7. Physicorũ ratiocinatur, ἀνάγκη εἶναι ἔν τι καὶ ἀΐδιον τὸ πρῶτον κινοῦν: & in 11. Metaphysicorum, τὰ ὄντα οὐ βούλεται κακῶς πολιτευεσθαι, οὐκ ἄγαθον πολυκοιρανίη, εἰς κοίρανος ἔστω: tamen contra hanc sententiam, naturæ aliquo modo notam, receperunt monstrosam multitudinem Deorum, & varia æterna numina, seu potius inania nomina, commenti sunt, & singulis statuas & cultus certos attri-

tribuerunt: de quorum origine & occasionibus idola fingendi primum Lactantij librum studiosi legant. Deinde in ecclesia etiam Manichæi duos DEOS pariter potentes & æternos finxerunt, alterum Bonum conditorem rerum bonarum, alterum Malum autorem rerum malarum: sicut & Plutarchus inquit: Δοκεῖν τοῦτο τοῖς πολλοῖς καὶ Σοφωτάτοις δύο εἶναι θεοὺς καθάπερ ἀντιτέχνας, τὸν μὲν ἀγαθῶν, τόνδε κακῶν δημιουργόν: videri hoc plurimis & sapientissimis, DVOS esse DEOS, tanquam æmulos & inter se pugnantes opifices, vnum rerum bonarum, alterum malorum architectum. Nihil iam de Valentinianorum portentis dico. Nihil de hominum mortuorum inuocatione & cultu statuarum planè ethnico. Contra hos furores firmissimè retinendus est fidei nostræ articulus, Quòd vnicus & solus sit verus Deus, omnipotens, æternus, bonus, iustus & iudex, patefactus in conditione mundi & eductione populi Israel ex Ægypto & misso Filio suo Domino nostro Iesu Christo & tradita certa Legis & Euangelij doctrina, sicut hæc dicta testantur.

1. Tim.

1. Tim. 2. Vnus est Deus: & vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Gal. 3. Deus vnus est. Deut. 4. Audiuisti vocem Dei de monte Sina loquentis & magnis miraculis ac signis ex Ægypto eductus es, vt scias quoniam DOMINVS ipse est Deus & non est alius praeter vnum Exod. 20. Ego sum Iehoua Deus tuus qui eduxi te ex terra Ægypti, non habebis Deos alios coram me &c.

In his Testimoniis diserte mentio fit patefactionis in miranda liberatione ex Ægypto & promulgatione Legis, vt hunc vnum verum Deum in populo Israel certo verbo & testimoniis miraculorum reuelatum, ab omnibus creaturis & aliarum gentium commentitiis numinibus discernamus. Esa. 44. 45. Sciatis & credatis mihi, Quia ego ipse sum. Ante me non est formator Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum DOMINVS & non est absq; me saluator. Ego primus & ego nouissimus, & praeter me (patefactum in populo Israel) non est Deus. Ioh. 17. Haec est vita aeterna, vt agnoscant te solum verum Deum & quem missi-

misisti Iesum Christum. Cùm autem hoc Christi dictum, fundamenti loco recentes Ariani ponant, vt vnum ac solum patrem, esse verum Deum: nec filium Dei vnà cum Patre Deum esse: Spiritum sanctum verò ne quidem nominari Deum debere contendant: præmonendi sunt rudiores, vt sciant, particulam SOLVS, non Filium aut Spiritum sanctum, sed omnia commentitia numina, seu τὸν ὄντως θεὸς, λεγομένους ἢ, à consortio diuinitatis excludere. Id ostendunt multa similia scripturæ dicta. Matth. 19. Nemo est bonus nisi vnus Deus. Roma. 16 Soli sapienti Deo. 1. Timoth. 1. Regi seculorum incorruptibili, inuisibili, SOLI sapienti Deo. 1. Timoth. 6. Solus potens, Rex Regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem.

Vt igitur in his dictis perspicuum est, particulas exclusiuas, non adimere Filio Dei & Spiritui sancto, bonitatem, sapientiam, immortalitatem, potentiam, Regnum; etiamsi solus Deus primò & perfectè bonus & sapiens ac verus prædicatur: ita nec in sen-

tentia Ioh. 17. Filius Dei verus Deus esse negatur: præsertim cùm statim addita sint hæc verba: & quem misisti Iesum Christum: quæ monent sic construenda esse membra sententiæ: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te (Patrem) & quem misisti Iesum Christum, esse solum verum Deum. In scholis respondent, dictionem SOLVS alias vsurpari categorematicè, vt absolutè ponat rem significatam circa aliquod suppositum, alias syncategorematicè, vt significet ordinem prædicati ad subiectum. Et hic iterum aut à forma subiecti omnes alios excludere, vt solus Pater est Deus .i. ille, cum quo nullus alius est pater, est Deus. aut à consortio prædicati excludere, vel alium masculinè, & sic esse falsam propositionem, solus Pater, non alius à Patre, est Deus: vel aliud neutraliter, & sic esse veram, Solus pater, non aliud à patre, est Deus. Sed prior responsio illustrior & planior est.

1. Cor. 8. Scimus quod nihil est Idolum in mũdo, et quod nullus sit Deus alius nisi vnus. Nam etsi sunt qui vocantur Dij siue in cœlo, siue super terram, sicut sunt Dij multi, & Domini multi: nobis tamen vnus

vnus est Deus Pater, ex quo omnia & nos in illo, et vn⁹ Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per illum.

Solent etiam hoc Pauli dicto abuti recentes Ariani, vt non Tres Personas ὁμοουσίους sed vnum tantùm esse verum Deum Patrem confirment. Verùm quod in Christi dicto Ioh. 17. proximè recitato monuimus, particulâ SOLVS, nequaquam Filium Dei & Spiritum sanctum, à diuinæ bonitatis, sapientiæ, veritatis, omnipotentiæ, & Regni societate arceri: sed commentitia & falsa numina tantùm à vero Deo discerni & seiungi: Idem in hac quoq; Pauli concione sciendum est: in qua disertis verbis Paulus collationem instituit inter vnum verum Deum, conditorem ac conseruatorem omnium rerum: & Idola Ethnica, seu commentios & falsos Deos, qui nomine, non re; & opinione, non naturâ, Dij sunt. Cùm igitur vnum esse Deum Patrem Paulus asseuerat, nequaquam à Diuinitatis honore excludit filium, quem alibi docet esse Deum benedictum in secula; eumq; hoc ipso in loco DOMINVM seu Iehoua omnium rerum condi-

conditorem nominat: sed opponit exclusiuam fictis & commentitiis Idolis, quibus Ethnici nomen & cultus Dei tribuebant. sicut proximè ante hæc verba (nobis tamen vnus est Deus Pater) inquit: Sunt qui dicuntur Dij, in cœlo & in terra, Quemadmodum sunt Dij multi & Domini multi, scilicet hominum stultorum opinione & erroribus, qui varia æterna numina, Iouem, Palladem, Martem, Cererem, Plutonem, Proserpinam &c. sibijpsis sculpserunt: ijsq; repræsentandis simulachra seu imagines & statuas erexerunt: de quibus verè dicit Paulus, Idolum nihil esse in mundo. Pleræq; enim statuæ apud Ethnicos, inanibus & commentitiis numinibus, quæ nihil in rerum natura sunt vel fuerunt, aut fabulosis hominibus positæ sunt. Sciunt igitur Christiani, cùm nullus sit Deus alius nisi vnus, nullum esse Idolum in mundo, quod verum aliquem Deum repræsentet: Sed numina illa Ethnicorum, quæ idolis seu statuis significantur, non esse Deos, imo planè nihil esse. tametsi ijs, à quibus coluntur, sunt Dij, sicut Philip. 3. de Pseudo-Apostolis dicitur,

Quo-

Quorum Deus venter est. Quod enim aliquis super omnia amat & colit, id illi Deus seu Idolum est.

Cùm autem numina illa, statuis argenteis aut lapideis significata, non sint Dij, imò planè nihil sint: passim Prophetæ cultum Idolorum taxantes, rectè & verè dicunt, nihil nisi argentum, lapides, aut ligna, ab Idolatris coli. Disertè igitur & significanter Paulus inquit, multos esse qui dicantur Dij siue in cœlo siue in terra; vt perspicuè ostendat, non esse reuera multos Deos in cœlo & in terra, sed falsò nominari & fingi multos Deos ab Idolatris, qui cùm reuera Dij nõ sint, tamen ipsorum opinione & errore Dij existimentur & dicantur. Huic monstrosæ multitudini numinum Ethnicorum, opponit Paulus vnum verum Deum conditorem & conseruatorem omnium rerum, ex quo ceu fonte omnia bona extiterint, & nos in illum seu ad veram illius agnitionem & cultum conditi & redemti simus. Hunc vnum verum Deum distinctis personis nominat Deum Patrem & DOMINVM seu Iehoua Iesum Christum: & vtriq; parem di-

vinitatem & omnipotentiam ac gloriam tribuit, cùm ab vtroq; ex æquo, omnia condita esse & conseruari affirmat. Rectè igitur & piè Dominum & liberatorem nostrum Iesum Christum cum aterno patre vnum Deum esse omnium rerum creatorem & conseruatorem confitemur.

DE VOCABVLO PERSONÆ.

Quod illustribus & perspicuis verbi diuini testimoniis hactenus ostendimus, vnum esse Deum omnipotentem, bonum, veracem, iustum, misericordem, conditorem & conseruatorem omnium rerum: & tres esse verè subsistentes, non confusos, nec nomine tantùm & ratione, sed verè distinctos & singulares, æternum Patrem, Filium & Spiritum sanctum: & Patrem esse Deum, itemq; Filium esse verum Deum, & Spiritum sanctum: nec tres Deos sed vnum tantùm esse verum Deum: id veteres ecclesiæ Christianæ scriptores & sancti Patres explicantes dixerunt, vnam esse naturam seu essentiam diuinam, omnipotentem, æternam, veracem, bonam,

bonam, iustam, omnium verum conditricem: & tres esse eiusdem naturæ seu essentiæ PERSONAS diuinas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, ὁμοουσίους, hoc est, vnius eiusdemq; Deitatis, sicut in Symbolo Athanasij tota hæc doctrina illustribus verborum luminibus exposita est. Hanc totam formam explicationis, qua Deum essentiam, & tres personas eiusdem essentiæ seu ὁμοουσίους nominamus, & vnum ac Trinum Deum seu vnum Deum in Trinitate & Trinitatem in vnitate confitemur: oppugnant recentes Ariani, eamq; nullo modo in Ecclesia Christi ferendam esse contendunt, tum propter chaos multiplicium absurditatum inde emergens, tum verò quòd nusquam in sacra scriptura hæ voces & loquendi formæ de Deo vsurpentur. A solo autem Deo discendum esse, quid de Deo sentiendum sit, & verbis Dei de Deo vtendum esse, vt scriptum est: Non addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferatis ex eo.

Cùm autem hæc speciosa cauillatio sit, & ad multas materias accommodari possit, sicut

Arij quoq; temporibus agitata est, vt ex Tripart: lib.2.cap.7. ij. 12. cernere licet: addam perspicuam & veram responsionem. Verum est, Ecclesiam sic ad verbum Dei alligatam esse, vt non aliter de Dei essentia & voluntate et cultibus ipsi præstandis sentire, loqui, credere & docere debeat, quàm sicut se Deus in verbo per Prophetas suo & Apostolos tradito patefecit. At hæc regula, non de nudis vocibus solummodò seu verborum sonis in sacra scriptura vsurpatis intelligenda est: alioquin enim nullis alijs verbis de Deo loqui possemus quàm Hæbræis, Syriacis & Græcis, quibus Deus se patefaciẽs & doctrinam suam per Prophetas & Apostolos scribens in veteri & nouo Testamento, solis propemodum vsus est. Sed de articulis fidei, seu dogmatibus & rebus ipsis, quas ecclesia docet, credit, & propagat, accipienda est: in quibus solo Dei verbo eam regi oportet: ita vt nihil cum eo dissentiens & pugnans asseueret aut præcipiat.

Vt autem commodius & maiori perspicuitate, res in verbo Dei traditas ecclesia in singulis linguis explicare, et contra hæreticorum corruptelas tueri possit: liberum est his vel

vel aliis vocabulis perspicuè & disertè veram sententiam exprimentibus vti: modò res ipsæ verbis illis significatæ, firma & perspicua in verbo Dei testimonia & fundamenta habeant. Immò necesse est talia vocabula, quæ simplicem, veram & natiuam sermonis diuini sententiam in singulis linguis clarè & eruditè exponunt, firmiter & constanter retineri, & propugnari: tùm vt veritas Doctrinæ de hoc Articulo certis & illustribus verbi diuini testimoniis fundata, & hisce vocabulis in Ecclesia receptis explicata, incolumis & salua apud nos conseruetur: tùm vt libertatem Christianam, Christi sanguine nobis partam, tueamur: quæ, omnia verbo Dei non prohibita, nobis libera & concessa & liberè seruanda vel omittenda reliquit. Nec quicquam velut peccatum prohiberi aut necessariò omitti vult, quod Deus ipse non prohibuit. Nihil etiam necessariô seruari, & velut ad veram pietatem aut salutem aliquid conferens retineri vult, quod Deus ipse in suo verbo non mandauit.

Cùm igitur Tres esse PERSONAS DIVINITATIS ὁμοούσιους dicentes, nihil aliud ve-

ad velimus, quàm quod illustribus verbi diuini testimoniis fundatum esse supra ostendimus; Tres esse non nominibus tantummodo aut ratione sola, sed verè & realiter distinctos & singulares subsistentes, æternum Patrem, Filium & Spiritum sanctum; & Patrem esse Deum, itemq; Filium esse verum Deum, & Spiritum sanctum: nec tamen Tres Deos, sed vnum tantùm verum Deum esse: manifestum est, siue tres Personas, siue tria suppositа, aut tres hypostases vel subiecta, vel tres verè subsistentes & distinctos ac singulares intelligentes aliquis nominet: modò rem ipsam in verbo Dei traditam retineat, nihil interesse. Sed cùm vocabulum Personæ iam in ecclesia vsitatum & receptum sit: rectissimum est, ecclesiæ matris sermonem, contra phanaticos homines retinere & tueri.

Breuem itaq; explicationem vocabuli personæ adiungam. Nam Ecclesia Personam nominat, quod Dialectici vocant Indiuiduum substantiæ seu naturæ intelligentis & loquentis, qualis est diuina, angelica & humana. Huius enim naturæ intelligentis indiui-

dua,

dua, peculiare nomen habent, & Personæ appellantur. Quare nec accidentium Individuis, nec substantiis vniuersalibus, nec naturis irrationalibus, seu mente & loquendi facultate carentibus, nomen Personæ tribui debet. Vsurpatur autem in hac significatione vocabulum Personæ à Paulo 2. Cor. 1. Vt non confideremus in nobis ipsis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui ex tanta morte liberauit nos, & liberat, & liberabit, simul adiuuantibus & vestris precibus pro nobis, vt pro dono ex multis PERSONIS in nos collato, gratiæ agantur pro nobis. 2. Cor. 4. Deus qui dixit vt è tenebris lux illucesceret, qui illuxit in cordibus nostris ad illuminationem gloriæ Dei in Persona Iesu Christi.

Alioquin verò in sacris literis vsitatè Persona, conditiones, seu qualitates, seu adiuncta, quæ in scholis Rhetores attributa Personarum appellant, qualia sunt quæ animo, corpori, vel externis rebus, bona vel mala accedunt: designat. Vnde vsitatissima scripturæ phrasis est, qua Deum acceptorem personarum esse negat, & iudicibus prohibet, ne personam hominis accipiant,

hoc

hoc est, vt de re ipsa seu causa quæ in iudicium venit, iudicent & pronuncient, sine respectu accidentium, quæ à re aliena sunt, vt quod litigantium alter doctus, alter indoctus: alter iudici cognatus vel amicus, alter alienus vel inimicus: alter nobilis & potens, alter plebeius & pauper est. Hæc accidentia remoueri vult à iudicio, & tantùm de causa ipsa seu nuda re iudicari: vt Manlius Torquatus non respicit personam Filij, sed de sola re iudicat, cùm Filium, qui contra edictum consulum pugnauerat, capite mulctat.

Huic vicina est vsitatissima latinis scriptoribus significatio, quibus PERSONA, officium, seu muneris certi administrationem denotat. vt Cicero inquit, Qui Philosophiam profitentur grauissimam sustinent Personam. In Pisonem. Non capiunt angustiæ pectoris tui tantam personam, tam grauem, tam seueram, id est, tantum officium, consulis videlicet. De Oratore. Tres personas vnus sustineo, meam, aduersarij, Iudicis. in officijs. Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia præstantiaq; reliquorum animantium.

Oriun-

Oriuntur autem hæ significationes à prima origine vocabuli Persona, quod propriè προσωπειον seu laruam significare aiunt, qua in scenis histriones faciem tegentes, aliorum formam, sermones, gestus & actiones repræsentabant: à personando, quod per eam histriones loquerentur; dicta, teste Agellio lib. 5. cap. 7. sicut Cicero de oratore inquit, Sæpe vidi cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur. Ita pro habitus seu vestitus & sermonum ac gestuum alterius repræsentatione, in Comœdiis & Tragœdiis vocabulum vsurpatur, & sæpè pro ipso repræsentatore alienæ personæ sumitur. Sed ad præsentem articulum, de Tribus Personis Diuinitatis, multò accommodatior & concinnior est Thomæ etymologia, qui Personam inde dici ait, quòd PER SE VNA SIT.

Græca Ecclesia vsitatissimè vocabulo ὑποστάσεως vsa est, & vnam esse θεαν æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed tres distinctas ὑποστάσεις seu tres viuos, intelligentes, verè subsistentes, non commentitios aut confusos esse, Patrem, Filium, & Spiri-

Spiritum sanctum docuit. Ac inter Basilij opera, insignis Epistola ad fratrem Gregorium Nyssenum, de discrimine οὐσίας καὶ ὑποστάσεως seu essentiæ & personæ scripta extat, pagina 536 & deinceps in Basilienſi græca editione, quam studiosi legant. Etsi autem græca vox ὑπόστασις, quodcunq; individuum substantiæ, præsertim quatenus sustinet accidentia, proprie significat, tamen consuetudine eruditorum in ecclesia, ad rationalis naturæ individua, cæteris omnibus dignitate antecellentia, translatum est. Itaq; rectius in hoc articulo reddi ὑπόστασιν, latinè subsistentiam, quàm substantiam, existimant. Cum enim una substantia seu οὐσία sit Patris, Filij & Spiritus sancti: tamen ἰδίαν εἶναι ὑπόστασιν πατρὸς καὶ ἰδίαν υἱοῦ καὶ ἰδίαν ἁγίου πνεύματος dicunt.

Econtra Concilium Sardicense, quod anno Christi 350 in Illyrico conuenit, promiscuè vocabulis οὐσίας καὶ ὑποστάσεως vtitur, vt ex Epistola Synodali, quam Theodoretus & historia Tripartita lib. 4. cap. 24. recitant, perspicuè apparet: in qua hæc verba sunt. Ἡμεῖς οὕτω ἔχομεν τὸν καθολικὸν πίστιν

πίστιν καὶ ὁμολογίαν, μίαν εἶναι ὑπόστασιν, ἣν αὐτοὶ οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν παρασημαίνεσθαι, καὶ πάτερος, καὶ υἱέ, καὶ ἁγίου πνεύματος. Item paulò post μία ὑπόστασις ἐστι τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱέ. Et Hieronymus ad Damasum Tomo. 3. pag. 60. queritur, Episcopum Antiochenum à se Trium ὑποστάσεων nomen exigere: & addit, totam secularium scholam, nihil aliud ὑπόστασιν, nisi οὐσίαν nouisse.

Cùm igitur tantæ etiam de vocabulo ὑποστάσεως dissensiones orirentur: Græci tandem latinos imitati, tria πρόσωπα, pro tribus personis, dixerunt: sicut & Paulus eadem voce in eadem significatione vsus est 2. Corinth. 1. ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων εὐχαριστηθῇ τὸ θεῷ, vt à multis personis gratiæ agantur Deo.

Cùm autem in mentionem vocabuli ὑποστάσεως inciderimus: id quoq; studiosum lectorem, vt definitio Fidei Ebre: 11. πίστις ἐστιν ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, rectius intelligatur, admoneo: Sæpè in sacris literis & alijs scriptoribus Græcis, ὑπόστασιν, firmam fiduciam, magno & inuicto animo aliquid expectantem aut sustinentem significare,

tare, vt in eadem Epistola Ebre. 3. Participes Christi facti sumus, ἐὰν περ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μεχρὶ τέλους βεβαίαν καταχῶμεν, siquidem principium illud fiduciæ seu primam fidem qua sustentamur, vsq; ad finem, firmam tenuerimus 2. Cor. 9. & 11. μὴ πῶς καυχησώμεθα ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, ne pudefiamus in hac summa confidentia nostræ gloriationis, seu in præfidente ista gloriatione, qua constantissimè asseuerauimus, Corinthios iam ab anno superiore paratos fuisse.

Polybius lib. 6. de Horatio Coclite. Κατέσχε τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν, οὐχ ὅτω τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ καὶ τόλμαν καταπεπληγμένων τῶν ἐναντίων, cohibuit impetum hostium, non ita vires ipsius & robur, vt constantiam animi, seu imperterritam confidentiam & audaciam, cum stupore admirantibus aduersarius. Diodorus Siculus lib. 16. Ἐπῆρε δὲ αὐτὸν πρὸς τὴν ὑπόστασιν ταύτην ὄνειρος & ἔμφασιν δόξης μεγάλης ἀυξήσεως καὶ δόξης, Onomarchum tanta confidentia inflabat somnium magnas opes & gloriam ei ostendens. &

lib. 15.

um, magnas opes & gloriam ei ostendens. & lib. 15. cùm Artaxerxes græcas ciuitates ad pacem hortaretur, θηβαῖοι κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπόστασιν οὐ προσεδέχθησαν.

Hæc exempla ostendunt, in definitione Fidei Paulina, ὑπόστασιν, *rectè, & ad consuetudinem græcè loquentium, congruenter exponi, certissimam & immotam Fiduciam, in Dei promissionibus constanter acquiescentem & certò expectantem ac velut præsentia & oculis subiecta amplectentem ea bona, quæ Deus in suis promissionibus offert, etiamsi oculis non cernantur, neque adhuc omnia præsentia sint, sed magna ex parte futura expectentur, vt remissionem peccatorum, gratiam Dei, auxilium & liberationem in cruce, resuscitationem ex morte, & vitam ac gloriam æternam. Hæc bona inuisibilia & speranda, Fides, oculis mentis à spiritu sancto illustratis, tanquam præsentia cernit, & firmissimè amplectitur ac retinet: ita vt nullis terroribus aut periculis cedat, vt se à promissione Dei, & petra salutis firmissima Domino nostro Iesu Christo, cui constantissimè innititur & incumbit, auelli sinat.*

Sciant autem studiosi, à veteribus græcis & latinis, etiam vocabula σώματος & corporis, eâdem ferè significatione, qua nos vocabulum Personæ retinemus, vsurpata esse: Significat enim Σῶμα græcis, non tantum molem ex elementis vel alia crassiore materia, quæ tactu sentiri potest, conflatam: sed in genere ὑφεστάμενον .h. aliquid verè subsistens, seu positiuum. & opponitur priuationi & ideis ac commentitiis rebus. sicut Tertullianus disputat Angelos & Animas hominum esse corpora .h. ὑφεστάμενα, seu res verè subsistentes. & rationem addit: Omne enim quod est, corpus est sui generis. Sæpe etiam simpliciter personam significat. Vt enim nos dicimus, in hoc prandio fuerunt quinque personæ, ita Græci dicerent quinq; σώματα. Gen. 34. 36. 49. Et Tobiæ 1. Serui & ancillæ σώματα vocantur.

Passim autem huius significationis exempla etiam apud Græcos scriptores obuia sunt. Demosthenes περὶ στεφάνου. Οὔτε χρήματα, οὔτε σώματα παρελάμβανον ἡμῖν, nec pecunia, nec personis, seu hominibus, nos iuuerunt. Nicias apud Thucydidem lib. 6.

Ηυξάνετο πόλις οὐ μόνον σώμασιν, ἀλλὰ καὶ χρήμασιν. Xenophon in 2. Paralip. Λύσανδρος παντὰ τὰ ἐλεύθερα σώματα ἀφῆκεν. Prorsus eodem modo Liuius loquitur, Captis Syracusis edixit Marcellus, ne quis liberum corpus violaret. Item Postera die libera corpora Dictator sub corona vendidit. Et Ouidius, Romulus hoc vidit selectaq; corpora, Patres.

Hanc admonitionem de vocabulo σώματος eam quoq; ob causam recito, vt Pauli dictum Col. 2. Εν χριστῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: rectius intelligatur. Non enim crassam molem corpoream ex elementis conflatam, diuinitati attribuit Paulus, nec tantùm in corpore seu humana natura Christi habitare Diuinitatem indicat, sicut in Moyse aut Iohanne Baptista vel Paulo habitat: sed diuinam essentiam omnipotentem, vna cum omnibus bonis suis, affirmat in Christo habitare. non tantùm effectiuè & separabiliter, vt in cæteris sanctis: sed σωματικῶς .h. substantialiter, seu ὑποστατικῶς, ita vt Chri-

ſtus ſit Perſona ſeu ὑπόστασις, quæ eſt ſubſtantialiter Deus genitus de ſubſtantia æterni Patris, vel ſicut anima cum proprio corpore vnam perſonam conſtituit.

Ex hac vocabulorum declaratione lucis aliquid accedit vſitatis Definitionibus, quarum altera à Boëtio traditur: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Altera Richardi: Perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia: in noſtrarum Eccleſiarum ſcholis his verbis repetitur. Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non ſuſtentata in alio. Additur autem in poſteriore definitione particula Incommunicabilis, vt diſcrimen ſit Eſſentiæ & Perſonæ. Nam prior, toti Eſſentiæ diuinæ congruit, quæ eſt vna, indiuidua, intelligens ſubſtantia, ſed tamen communicabilis tribus perſonis diſtinctis. Nam & Pater eſt eſſentia diuina & Filius eſt eſſentia diuina & Spiritus ſanctus. Sed Perſonæ ſunt incommunicabiles. Nam Pater non eſt Filius: nec Filius eſt Pater, aut Spiritus ſanctus. Quare vt non confundantur aut permiſceantur Perſonæ, ſicut à

Sabel-

Sabellio factum est, & vt discrimen sit essentiæ & personæ, inserta est definitioni hæc vox Incommunicabilis.

Postrema particula (quæ non sustentatur in alio) propter vnionem ὑποστατικὴν duarum naturarum in Christo adiuncta est. Etsi enim in Christo sunt duæ substantiæ indiuiduæ, intelligentes & incommunicabiles: nam natura diuina non mutata est in humanam, nec humana conuersa est in diuinam: tamen hæ duæ naturæ sunt tantùm vna Persona; quia humana natura à diuina, vt corpus humanum ab anima sustentatur. Hactenus de vocabulo Personæ dictum est.

Nunc summam explicationis doctrinæ de VNITATE ESSENTIÆ & TRIBVS PERSONIS, in SCHOLASTICA THEOLOGIA, partim ex verbo Dei, partim ex dictis patrum, partim ex propriæ rationis imaginationibus depromptam: oratione quàm maximè potero, propria & perspicua recitabo.

Docent igitur, Vnam esse æternam, infinitam, perfectè bonam, omnipotentem,

simplicissimam essentiam, seu naturam diuinam, quæ sit & nominetur DEVS. Non enim, vt in rebus creatis, præsertim compositis ex materia & forma, differre suppositum & essentiam seu naturam Dei. Sed idem esse Deum & Deitatem seu essentiam diuinam, secundum rem: tametsi modo significandi aliquantùm differant, ita vt vocabulum Deus, per se quidem pro natura communi, sed ex adiuncto actu notionali etiam pro persona supponat.

Hanc æternam essentiam diuinam, etiamsi est simplicissimè vna & singularissima, tamen cùm sit infinita & interminata, pluribus suppositis seu personis se totam & integram posse communicare dicunt, ita vt communis sit tribus personis & tota in singulis. quæ prorsus inter se æquales & coæternæ sint, ita vt nulla earum maior vel minor, prior vel posterior existat. Ideoq; rectè & piè dici, vnam esse Dei essentiam communem tribus personis Patri Filio & Spiritui sancto: Et has tres personas vnius essentiæ & vnum Deum esse.

Nec tamen Essentiam diuinam generare

vel

vel generari concedunt, quia cùm sit vna & eadem in tribus personis, non sit realiter distincta, sicut generans à genito realiter distinctum est: & quia nomen Essentiæ absolutum, relativè accipi non possit; alioquin enim Essentia non esset.

Docent autem constitui & distingui personas, non essentia gignente, genita, vel spirata, sed solis relationibus originis, paternitate, Filiatione, processione: quas dicunt reales esse, & realiter subsistere in natura diuina, nec significare habitudinem ad essentiam, sed ad suum oppositum, & planè idem esse cum essentia secundum rem: sed tamen distingui ab ea formaliter. Habent enim tres Personæ idem esse reale & essentiale, sed non formale.

Has relationes in abstracto, etiam notiones & proprietates, Græci χαρακτηριστικὰ ἰδιώματα nominant, quibus velut notis propriis personæ agnosci, & à se mutuo discerni possunt.

Ac ex quinq; Notionibus, quæ sunt τὸ ἀγέννητον seu innascibilitas, paternitas, Filiatio, spiratio, & processio: Quatuor posterio-

res tantùm sunt relationes personales, quibus inter se ratione oppositionis relatiuæ, realiter distinctis, tres personæ distinguuntur. Tres verò tantùm notiones seu proprietates personales, quæ videlicet personas constituunt, & cum personis, eadem ratione, qua abstractum cum concreto, idem sunt. reliquæ duæ, innascibilitas & communis spiratio, non personales, sed personarum notiones vocantur. Actus notionales, supra quos relationes originis fundari dicunt, sunt generare, gigni, & procedere.

Attributa verò essentialia nominant æternitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, lucem, splendorem & alia trium personarum communia, quæ singulis personis interdum tribuuntur, vt potentia Patri, sapientia & virtus Filio, bonitas & Dilectio Spiritui sancto.

PERsonam dicunt significare relationem in recto, & essentiam in obliquo: non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis. Significat enim relationem vt rem subsistentem in natura diuina. Similiter etiam dicunt

cunt personam significare essentiam in recto et relationem in obliquo, in quantum essentia idem est quod hypostasis. Hypostasis autem significatur in diuinis vt relatione distincta, & sic relatio per modum relationis significata cadit in rationem personæ in obliquo.

TRES autem & non plures vel pauciores esse Personas diuinitatis, inde probant, quia in Deo, vt in natura intelligente, duo tantùm sunt principia producentia, Intellectus & Voluntas: & duæ tantùm processiones, secundum actiones non ad extra emanãtes seu ad aliquid extrinsecum tendentes, sed intra Dei essentiam permanentes, quæ sunt, intelligere & velle. Vna est igitur persona producens, & duæ productæ: Verbum ex Intellectu: & amor seu spiritus ex Voluntate. Nam vt intellectus humanus, cogitans aliquid format imaginem rei cogitatæ, sed non subsistentem: quam in scholis verbum mentis vocant, quòd per verbum vocis proferatur: Deinde voluntas habet impetus seu motus & inclinationem amoris in re cognita adquiescentis: Sic à diuino intellectu, suam ipsius essentiam cognoscente, dicunt emanare

seu produci verbum seu cognitionem subsistentem, hoc est, filium, cui essentiam suam totam impertiat, nec tamen eâ se ipsum priuet. Item à diuina voluntate Patris & Filij spirari amorem essentialem, quo in se mutuo acquiescunt, et postea sibi Ecclesiam copulant.

Nec priuat se diuinitas sua essentia, etiamsi se totam filio & Spiritui sancto communicet: cùm sit infinita. Ideoq; eadem singularis diuinitas seu essentia diuina, tribus suppositis seu personis ita inest, vt tamen tres Deos seu essentias diuinas esse, dici non possit. Sed naturæ finitæ & terminatæ, non nisi in vno supposito esse queunt, sicut exempli causa, fratres, Aran, Abraham, Nahor, tres homines esse dicimus, quia non eandem numero, sed singuli à cæteris diuersam essentiam, seu singularem humanitatem, habent: tametsi quo ad speciem, eadem humanitas seu idea omnibus suppositis communis sit.

Addunt & alias similitudines seu picturas, quibus modum processionis personarum adumbrant. Vt enim in speculum intuentis imago statim refulget: ac si intuens imaginem

nem suam, eaq; se oblectans, rideret; rideret & illa, ita vt risus & ab intuente & ab imagine communiter oriretur: sic æternum Deum Patrem, in speculum diuinæ essentiæ suæ intuentem, generare Filium imaginem sui, non euanescentem, sed ὑφισαμένην: & ex mutuo patris ac filij amore spirari seu procedere Spiritum sanctum dicunt, qui postea incendium amoris diuini ad nos perferat, & adfectuum Deo placentium flammas in nostra pectora spargat.

Thomas etiam Spiritus sancti ex patre & filio processionem hac imagine illustrare conatur. Vt ex Adamo Eua producta est, & ex Adæ & Euæ coniunctione Abelus postea processit: ita Spiritum sanctum ex patre & Filio, qui ipse etiam à patre editus est, emanâre.

Has tres personas, docent, prorsus inter se diuinitate, potentia, maiestate, magnitudine seu perfectione naturæ, æquales esse, & eodem insecabili æternitatis momento perfectissmè extitisse, ideoq; coæternas esse: tametsi sit in eis ordo secundum originem absq; prioritate temporis vel dignitatis.

Dicunt

Dicunt autem, Filium in Patre, & Patrem in Filio, & sic personas diuinas in se mutuo esse per circumincessionem, quam definiunt, subsistentis in subsistente realiter distinctionem, & mutuam præsentialitatis assistentiam in eadem essentia.

Solum verò Filium Dei, & non cæteras duas personas, Christi humanitatem assumsisse dicunt, ita vt Filius Dei, absq; vlla sui mutatione, terminauerit relationem illam seu adunationem realem, fundatam in assumta humanitate, & terminatam ad Dei Filium, tanquam ad suppositum diuinum, sustentans humanitatem adunatam. Nec tamen ad Filij diuinam essentiam, quatenus communis est Patri & Spiritui sancto, terminari relationem seu vnionem, sed tantùm ad entitatem illam realem, per quam Dei Filius est subiectum seu persona. Solum enim Filium dicunt accepisse hominem in singularitatem personæ, non in vnitatem diuinæ naturæ. Ideoque Vnionem hypostaticam verbi seu Filij Dei cum natura assumta, definiunt relationem sustentificati ad sustentificans, extrinsecus aduenientem, termi-

terminatam ad verbum, & fundatam in assumta humanitate &c.

ERRORVM DE S. TRINITATE INDEX, à quodam erudito collectus.

HOminum alij sunt planè ἄθεοι, qui nullum esse DEVM dicunt. alij DEVM quidem esse aliquem concedunt, sed in illius explicatione grauiter errant. Eorum enim alij, personas & hypostases in diuinis tollunt, idq; vel verbis ipsis & apertè, vt Iudæi, Monarchitæ: vel re ipsa, & effectu, vt qui hypostases nihil aliud esse volunt, quàm nudam animi nostri cogitationem, vel nomina & appellationes nudas eiusdem & vnius personæ, sed sonis diuersas, vt Simoniani: vel diuersos vnius & eiusdem rei status, actiones, vel ἐνεργείας, diuersaq; officiorum vnius & eiusdem personæ vocabula, vt Sabelliani: vel Qualitates rei eidem inhærentes, quæ non subiecto & χωρίζει inter se distinguuntur, sed velut in eodem homine candor & proceritas corporis insunt, vt Arriani. Alij

Alij relinquunt Personas, sed vel Quaternitatem constituunt, id est, præter tres illas hypostases, quartam quandam essentiam inducunt, cuius participes sint illæ tres, & quæ sit, & alia, & aliud, quàm ipsæ personæ: quales fuerunt Marcitæ, Apollinaristæ, Tetratheitæ. vel Trinitatem quidem retinent, sed in ea distinguenda peccant. Nam vel in vniuersum, ipsius distinctionis & emanationis personarum rationem perperam tradunt & inducunt, eorumq; alij vnitatem quidem essentiæ retinere conantur, sed in ea hypostases confundunt, id est, personarum realem distinctionem non constituunt. Hi Trinitatem esse volunt, vel extensionem vnius rei velut ceræ, vt Marcelliani. vel Disgregationem vnius luminis in plura, vt Hierarchitæ. vel Implicationem & comprehensionem mutuam, tanquam vasorum & pilarum inter se implicatarum & contentarum, vt Metangismonitæ. vel Tres personas esse tres formas in vna eademq; materiæ, vt cera in sculptas, vt Triformiani.

Alij Trinitatem quidem personarum, & realem earum distinctionem retinere studeant,

dent, sed essentiæ vnitatem tollunt. Eorum enim alij contendunt, tres personas esse tres Deos reipsa diuersos, vt Tritheitæ. vel Tres eiusdem totius & compositi integrales partes, vt Seruetani. vel tria vera eiusdem speciei individua, & tres separatas essentias, seorsim à se subsistentes, vt Triusiani: vel Tres sic esse Deos, vt penes vnum sit tota Deitas, & per se: in alijs autem gratia & dono tantum insit, & creata, vt Ariani, Seruetani: vel Tres sic esse vnum Deum, vt pater sit duorum reliquorum essentiator, id est, secundæ cuiusdam & alterius essentiæ, à sua diuersæ, factor, vt Valentinus Gentilis.

Qui certarum tantùm personarum ratione & distinctione constituenda peccant, eorum alij perperam distinguunt inter se, vel patrem & filium, & horum quidem alij filium creaturam esse dicunt, quæ sit tamen patri vel ὅμοιον, idque vel essentia & voluntate simul, vt Aetiani, siue Semiariani priores. vel voluntate tantùm, non essentia, vt Aetiani posteriores. vel ἄνομοιον, vt Eunomiani, Aetiani, Anomæi. vel seruus, vt Eudoxiani, Dulianî.

alij

alij Filium & Spiritum sanctum non rectè distinguunt, dum negant Spiritum sanctum esse à Filio, vt est à patre, vt Græci. alij Patrem & Spiritum sanctum, vt qui vel Spiritum sanctum negant esse verè Deum, sed tantùm patris vim effusam in creaturas, vt Macedoniani, Seruetani. vel ministrum patris & filij, angelis præstantiorem faciunt, vt Eusebiani.

Cùm autem in tanta mentium humanarum caligine & procliuitate ad omnis generis falsas de DEO opiniones ac hæreses; & tot Hæreticorum ingeniis doctrina & eloquentia præstantium erroribus; rectè DEVS agnosci & vera de DEO fides retineri non possit, nisi DEO ipso Docente: quotidianis & ardentibus votis DEVM precemur, vt ipse per verbum à se traditum, mentes & corda nostra, Spiritu sancto suo doceat, confirmet & regat, ne in errores fanaticos & Hæreticos incidamus, sed verè Deum agnoscamus, inuocemus, & in omni æternitate celebremus.

DEO GLORIA.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737595419/phys_0105

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737595419/phys_0106

Fm
4363

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1737595419/phys_0107

terminatam ad verbum, & funda
assumta humanitate &c.

ERRORVM
DE S. TRINITA
INDEX, à quodam erud
collectus.

HOminum alij sunt planè ἄθεο
nullum esse DEVM dicunt. alij
VM quidem esse aliquem concedunt,
illius explicatione grauiter errant.
enim alij, personas & hypostases in
tollunt, idq; vel verbis ipsis & apertè,
dæi, Monarchitæ: vel re ipsa, &
vt qui hypostases nihil aliud esse
quàm nudam animi nostri cogitationem
nomina & appellationes nudas eiusde
vnius personæ, sed sonis diuersas, vt
niani: vel diuersos vnius & eiusdem re
tus, actiones, vel ἐνεργείας, diuersaq;
rum vnius & eiusdem personæ vocabu
Sabelliani: vel Qualitates rei eidem
rentes, quæ non subiecto & παράξει in
distinguuntur, sed velut in eodem ho
candor & proceritas corporis insunt
Ariani.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737595419/phys_0108